DO·ESTU E·A·LUZ
LIVRARIA ACADÉMICA
J. GUEDES DA SILVA
8, R. MÁRTIRES DA LIBERDADE, 12
PORTO ✠ TELEFONE, 5988

RB186,076



Presented to the

LIBRARY *of the*

UNIVERSITY OF TORONTO

by

Professor

Ralph G. Stanton


150

De Fr. Francisco dos Anjos Chaves, que me offertou
D. Silverio José da Cunha Cabral

Agora he do Beneficiado Albino Ferreira da Cunha
Leal, que lhe offertou o R.mo Fr. Francisco dos Anjos
Chaves em 12 de Abril de 1829, natural
da Villa de Fafe, Bibliothecario
da Livraria do Convento de
S. Francisco da Cidade em
Lisboa.

CASTREIDOS

LIBRI V.



ILLUSTRISSIMO
AC
PRÆCLARISSIMO DOMINO
NONIO ALVARES
PEREIRA DE MELLO
CASTREIDOS
LIBROS V.
D. V. C.

THOMAS CAIETANUS
DE BEM

Clericus Regularis.



ULYSSIPONE OCCIDENTALI,
Excudebat ANTONIUS ISIDORUS DA FONSECA,
Ducis Cadavalenſis Typograp.

M. DCC. XXXIX.
Cum facultate Superiorum.

ILLUSTRISSIMO DOMINO

NONIO ALVARES

PEREIRA DE MELLO.

F*Atali ex tumulo, quo hactenus non ſibi, ſed Deo triumphator, publicis lacrymis compoſitus jacuerat* Joannes Caſtrius, *demum*

exſurgens rurſus ad vitam redit, ſiſtitque Tibi, Illuſtriſſime, ac Præclariſſime Domine, palmas, ac trophæa, quæ debellatis hoſtibus Oriente reportavit, ut non aliter cum ipſius famâ lauri revireſcere videantur, quàm ut ex omnium plauſu tua maior gloria digniter augeatur. Nec te Deo, & aris dicatum gravabit excipere virum militarem, inimicis armis inſtructum, hoſtili ſanguine madentem, iræ tandem, atque ſtragibus deditum; nullum enim facile inveniris, Illuſtriſſime Domine, qui Chriſtianæ pietatis illuſtriora ediderit exempla, aut qui integrâ Religione in Supremi Numinis majeſtatem felicius claruerit. Merito hinc jure tuis in lucem prodit ſub auſpiciis, qui ſe cæteris mortalibus ſuperiorem exhibuit, nam unus inter omnes maxime emines. Hinc etiam, opinor, non erit, Domine Illuſtriſſime, qui miretur, nomen hic tuum a me potius præfigi; id enim jampridem ſapientum uſus obtinuit, ut grande aliquod nomen in fronte librorum, qui in publicum emittuntur, inſcriberetur, ut hujus authoritate, atque amplitudine, tamquam bonis ominibus inaugurati, ne, ſi in obtrectatorum manus in-

ciderint

ciderint, illorum, quod plerumque ſit, calumniis pateant, imo quidquid improbus livor carpſerit, ab illius morſu infixum patroni nomen, tutelare quaſi numen, vindicet: ideoque non alteri, quam tibi, debuit in clientelam ſe commendare hic meus labor, cum te maxime commendet & ſplendor Natalium, & Virtutum decor, & varietas eruditionis, unde omnis exſurgit præſtantia Mæcenatis. Natalium quidem ſplendor omnium fulget oculis, non enim tibi ex nobili tantum ſtirpe, aut excelſiſſima, ſed ex plane Regia Sanguis eſt, nullus enim ignorat te Sereniſſima Brigantina Domo progenitum, ut tua referunt Stemmata, ſic & alias complures familias domi, militiæque clariſſimas utrinque complecti. Non igitur expectandum hîc erit tibi ut fumoſas Avorum tuorum imagines in lucem producam, non enim eſt in animo illuſtrem Familiam tuam, & quæ juſtum volumen exigat, verbis ad magnificentiam, & ſplendorem compoſitis deſcribere. Satis illi eſſe & gloriæ & nominis in confeſſo eſt, & præcone aliunde quæſito nequaquam indigere. Neque etiam omnes enumero Maiores tuos, ne plures

 æta-

ætates enumerem: cum appello omnes dum te appello; designo singulos nomine suo, dum tuum enuntio, vivunt namque omnes in te hærede virtutum, licet tantum pars tui. Nam si memorem Alphonsum I. Brigantiæ Ducem, illius Nonii Alvaresii Pireiræ generum, octavum avum tuum, & Ferdinandum Ducem II. duo Lusitani Imperii ornamenta, & alta decora, quæ miracula non patrarunt? Quæ præclara facinora non ediderunt? Hos inter resplenduit, ut Sol, dignus tui Avus Nonius Dux I. inter omnes singularis, vel rem bellicam exercendo, vel civilem Reipublicæ statum administrando. Natus Imperio forma, ac idea utriusque artis militaris, & politicæ. Militaris, cum Militiæ Estremaduræ Magister Generalis, Regiæ Majestati immediatus, & Equitum ejusdem Provinciæ Dux Generalis extitit. Politicæ, cum Regiæ Majestati a Consiliis Status, & Consiliator Bellicus, atque Senatus Palatini Præses spectatus fuit. Cujus proinde viri gravitatem, sapientiam, pietatem, justitiam, liberalitatem testatur Lusitania, allaudat Orbis: & cujus omnibus luctuosa mors, memoria semper chara,

ra, & jucunda futura est. At sufficiat dicere, quòd si quis unquam excelso loco natus domesticis rerum fortiter, juste, præclareque gerendarum exemplis abundavit, eorum profecto tanta tibi copia suppetit, ut maior excogitari non possit. Addidisti præterea nobilitatis gloriæ splendorem virtutis, ut bis nobilis esses. Nulla tibi ex virtutibus deest, & tu nulli, nec facile judicium est, quænam in te virtus emineat, dum omnes sunt eminentes: præcellere tamen videtur cæteris morum suavitas, vel affabilitas, quæ te omnibus amabilem facit, & tibi omnes amabiles. Nescio quo fato fieri dicam, ut plerique mortalium, quos avitæ nobilitatis decor super cæteros extulit, adeo statim supercilium attollant, cæterosque fastidiant, ut ipsi non ex hominum numero, sed quasi e Deorum consilio delapsi esse videantur. Putant nimirum cum imperii majestate eas locum obtinere non posse virtutes, quæ quasi communes, & populares habentur, humanitas scilicet, benignitas, sermonis facilitas, atque mansuetudo. Putant de dignitate sibi detrahi plurimum, nisi fastu, superbiâque a cæteris internoscantur. Longe

tamen

tamen aliter; Illustrissime Domine, omnibus te exhibes; in tanta enim domesticæ gloriæ amplitudine, & in tanto honoris gradu constitutus, ita tegeris, ut dubium facias, plusne admirationis dignum sit virum cernere tantâ affabilitatis laude ornatum, tantäque morum suavitate compositum, an vero cum illustrissimæ personæ authoritate tantam animi benignitatem, humanitatemque conjunctam. Tua sunt hæc ornamenta propria, unde cedit tibi gloria cumulatior, vel etiam gloriæ tuæ cumulus accedit. Sunt hæc magna, & quæ dici ad laudem tuam possint, non ambitiose, sed vere. Quæ præclaræ quidem ingenii dotes eo magis sunt admirandæ, quo rarius inveniuntur hisce temporibus, quibus videlicet nec vitia nostra, nec remedia pati possumus, vel etiam virtus vitio vertitur. Longum esset ire per singulas virtutes tuas, dum in te sunt omnes vere singulares. Taceo igitur hæc, ne offendam modestiam tuam, & abstineo laudibus tuis, quia jubes: dum tamen abstineo, illas dico; scilicet hæc omnium laudum maxima est, nolle laudari, & laudabilem esse. De eximiä tuä, &

admi-

admirandâ quidem eruditione quid dicam, Domine Illustrissime? Non facile judicium est, plusne debeas Sapientiæ, quam illa tibi. Experitur illa in te, quid tota possit: hoc ipsum ei debes, quod te elegerit, in quo ostenderet, quid tota posset: obtulisti capax ingenium, quod impleri posset: infudit se illa totam, nec minor est hospitio, quia immensa, nec maior, quia hospitem invenit æqualem. Commigrarant jampridem antea Eboram Athenæ cum Atticis gratiis, & Musis, & omni literariä supellectili, præter Noctuas a loco, ubi nidificantur aquilæ, alienas. Eo te mollioribus pennarum plumis nobilis discendi aura incitavit. In Urbe floridissimâ Socraticæ Sapientiæ tramites, implicitos subtilis filo ingenii labyrinthos evadendo, confecisti, omnesque perfecti Philosophi numeros absolvisti. Mox Theologiæ studio incumbens, conceptam de te brevî expectationem superasti, cumque volare ad apicem Doctoratùs possis, gradatim ire maluisti, ut per singulos gradus ascendens in singulis monimentum tuæ virtutis positum relinqueres. Tuum quippe est studere impigre, quæstionum fibras inspi-

inspicere, difficultatum nervos tentare, controversiarum venas tenere: argumentari acute, respondere subtiliter, refellere apte, confutare acriter, & venaticâ solertiâ occulta indagare, abdita investigare, inventa prodere, ac expedire, in æqualibus invidiam, in magistris admirationem excitare. Satis est plerisque ingeniis scire pauca, ut credant se scire omnia: tu id omne nostri, quod pauci sciunt, & omne quod nesciunt. Hactenus in singulis ingeniis singulæ fere artes solitariæ erant, ne una excluderet alterã, si essent plures, propterea Theologia inculta, Philosophia barbara, Eloquentia enervis, Ethica sterilis, Politica imbellis erat: invenerunt in te unde omnes se perficerent, in te namque Theologia eloquens, Philosophia elegans, Eloquentia mascula, Ethica efficax, Politica generosa: in te singulæ scientiæ se corrigunt, quia in te invenerunt Magistrum. Hinc est, cur ego non alium in Mæcenatem, ac Patronum eligere debueram, quam te, Domine Illustrissime. Nam si Sapientum vetus consuetudo, & lex est, eorum opera viris Principibus offerre, non alteri quidem, quam tibi, debuit hoc Poema in clientelam se commendare, cujus patrocinium tam grande, tamque præ-

potens

potens est, ut ipsum Poema, quod suæ tenuitatis gnarum communem hominum sententiam reformidet, tuo amplissimo nomine, velut Achillis clypeo protectum, tuisque auspiciis erectum, non timeam in lucem illud proferre: nec jam Zoilorum, & Aristarchùm, Authoribus invisa capita, mihi timorem incutiunt tela, siqua forte iniquo animo in illud contorquere vellint. Hæc namque in ipsum tua authoritate, atque amplitudine, tamquam aris obtectum, conjicere non audebunt. Jam denique noli tenuem hominem contemnere, qui, quä una ratione potest, suum in te studium, & observantiam publice testatur. Excipe, Illustrissime Domine, quâ benignitate soles, hoc meæ in te devotionis monumentum, ære quidem perennius, & vale Lusitaniæ nostræ ornamentum, & literarum columẽ. Ulyssipone Occidentali, ex nostro Musæo S. Mariæ a Divina Providentia. IV. Id. Septemb. Anni MDCCXXXVIII.

Illustrissime Domine

Tibi obsequentissimus servus

Thomas Cajetanus de Bem C. R.

LE-

LECTORI.

HAbes tandem, Lector humaniſſime, poſt diuturnas præli moras, *Caſtreidos libros quinque*, Opus primâ juventute ſuſceptum, pluries intermiſſum, iterum, atque iterum ad oleum, & operam revocatum. Nunquam mihi concilium fuit publica de iis judicia experiri; verum cum Muſas, ſive naturæ quadam inductione, ſive earum elegantiâ, atque ſuavitate captus ſic amarem, ut illæ me viciſſim non omnino negligerent, factum eſt, ut me prius inter Poetas cenſeri poſſe animadverterem, quam ipſe me poetam eſſe crederem. Scio raram eſſe avem, quæ Maronianis numeris hac tempeſtate in Parnaſum involat. Ævi profectô vitium, non ingeniorum, aut Phocidos ſterilitas eſt. Abhorret ab ea Heroicæ majeſtatis celſitudine abjectioris quidem ſpiritus, atque indolis ſæculum. Sed hoc genus verſificandi

ſificandi unice nos amavimus, in eoque dominati ſumus. Itaque cum primum ad componendum vel pueri acceſſimus, ab heroicis nobis verſibus initium fuit: cumque per omnes verſificandi formas calamum duxerimus, Heroica nobis, & frequentior uſu, & genio facilior extitit. Poeticas ſic amavi delicias, ut in cupediis numerarim. Accurate ſtudui Virgilium imitari, quem omnibus anteposui, ut in hoc opere deprehendes pro rerum varietate: nec omiſi præterea legere Statium, Claudianum, Lucanum, Silium Italicum ex antiquis; Vidam, Sannazarum ex novis. Cum Virgilii majeſtate Statii furorem, Claudiani enthuſiaſmum, Lucani œſtrum, Silii granditatem conjungo. Experieris arduos Phaëtontis niſus, ſed extra ruinam, & audaces Icari conatus, citra caſum. Solis, ac Dædali non immemor, & nitor, & evolo. Non ſum tamen neſcius, fore, ut hic meus labor, ſtudiumque in varias reprehenſiones incurrat. Quidam enim ingenio ſuo, bono quidem, ſed præfidenti tamen, illico dum in libellum novum incident, faſtidio neſcio quo evicti pulchrum putant non pauca carpere. Cur, inquiunt, hoc omiſit? Cur illud plenius non tractavit? In iſto quid neceſſe erat ita multis immorari? Illud, & illud quam amplam, & rei convenientem materiam dabat? Et ſexcenta hujuſmodi, quæ ut vitare quiſpiam velit, vix eſt ut poſſit. Neque dubitant ingenioſi illi, quin haud

haud paulo meliora, qualia ſibi ſemper comminiſcuntur, ſcripturi ſint dummodo otii tantillum a ſe impetrent, aut patientiæ, ut cum Muſis in gratiam redeant, & ad pluteum pauliſper meditabundi conſideant. Quos ego quidem tam magnifice, & ſentire de ſe, & loqui facile patior; hoc minus æque, nam, ſi dicenda res eſt, eorum quiſque *Sudet multum fruſtraque laboret auſus idem*. Enim vero meum hoc Poema externis, atque domeſticis gratioſum fore judicavi; his enim præjucundum erit ſuorum facinora legere, & in exteros communicari: illis non ingratum erit illuſtrium factorum participes fieri. Sed quia non ſolet in narratione Epicâ rerum ſeries more hiſtorico decantari, ſed ita interrupta, ut ſibi per mille anfractus occurrat: & quia ſolet nuda hiſtoriæ veritas laciniosis fictionibus ita circumveſtiri, ut quæ ſint vera, & quæ fabuloſa, vix poſſint diſcerni: quod per ſe magnum, ac pulchrum cum ſit, in cauſa tamen eſt, ut hiſtoricus Ordo legenti non pateat, multaque judicentur obſcura, quæ ſi narrationis ordo teneretur, luce meredianâ eſſent clariora: hinc ego, ut lectori meo conſulerem, totius rei hiſtoriam breviter, non ita tamen obſcure, præmittendam cenſui, quæ rerum, ac temporum ordinem ſervando, Poeſi lucem daret. Mahamudius Cambayæ Rex, ad ulciſcendam avunculi Badurii mortem, quam accidiſſe Nonio a Cu-

nha Prætore literis proditum eſt, miris artibus incitatus a Sofare, impiiſſimo homine, utpote Chriſtianæ Religionis deſertore, inito cum finitimis Principibus fædere, ſtatuit Dium eripere Luſitanis, eoſque ab India longiſſime exturbare. Ipſum Sofarem bello adminiſtrando cum ſummâ imperii poteſtate præfecit. Qui, Rumecane filio rei tormentariæ procuratore, quinque Turcarum millibus, & infinitâ e variis gentibus multitudine ſtipatus; præter ſexaginta maiora tormenta, duodeviginti, ut vocant, Baſilicis, commeatu, ac cætero belli apparatu largiſſime comportatis, Urbem ingreſſus eſt. Hujus autem, in qua, velut in theatro, Luſitana virtus tantopere probata eſt, brevem, neceſſariamque diſcriptionem hic attexemus, editam ab Andrada ſequentes. Dienſis Inſula, celebris lucupletiſſimo Emporio, Luſitanorum victoriis perilluſtris, ſita eſt in ſinu quodam, & lingula, quæ limes eſt Regni Cambayci, polari altitudine graduum duorum, ac viginti, ex parte Boreali. De illius conditore, ac vetuſtate, incolæ fabulantur ſane permulta, magis illuſtria, quam explorata principia loco tribuentes. Portus peregrinis mercibus frequentiſſimus. Urbs a continenti diviſa æſtuario cingitur: Soli aſperitate fortis eſt, arte vero naturam adjuvante fortior, & ab hoſtium impetu defendi facilius poteſt. Circumfuſi æſtuarii fauces duæ, altera ad Septentrionem,

nem, ad Meridiem altera obversa, æstuosis syrtibus infames, nulloque prorsus usui. Est alius præterea canalis in fronte insulæ, ubi, cum naves jactis anchoris commodissime subsistant, commodior inde est ad Urbem transitus. Hanc arcem administrabat ea tempestate Joannes Mascaregnas, quem pervetusta generis claritas in Lusitania, militaris virtus in India, eximie commendabat: vir sane omnium suffragio famam, & fortunam suam æque promeritus, etsi in Asiaticis periculis, quam in Patriæ adversitatibus tolerandis longe constantior. Qui postea in patriam redux, cûm a Rege, tum a Lusitanis proceribus non vulgaris honoris significatione exceptus est: præmia tamen insignibus promeritis paria non retulit. A Sebastiano Rege ad intima Regia consilia est adhibitus, eoque in Africam proficiscente, in cæteros Gubernatores adlectus est ad Lusitaniam administrandam. Nuptiis cum Helenâ filiâ Joannis de Castellobranco celebratis, illustrem ex ea suscepit, & fidelissimam posteritatem: cujus viri bellicam fortitudinem laudavit elegantissime Jacobus Wallius e Societate Jesu Poeta clarissimus lib. I. Lyricorum Ode IX.

Orbem irrepertum, & remige non prius
Pulsata nostro cærula visere,
Longeque porrectis ad ortum
Figere litoribus tropæa

Hoc Luſitanum eſt. Hic ſtetit, hic manu
Gens illa parva viribus & fide
Maiora geſſit: vicit armis
Cauſa prior, numeroque virtus.
Quæ Maſcaregnis par fuerit chelys?
Heu clara belli fulmina! quos metus
Fecere Gangi! qua ſuperbas
Cambayæ, Mogoriſque vires
Fregere dextrâ! quis mihi barbito
Maiore dicat bella Dienſibus
Pugnata ſub muris, & unâ
Fractam Aſiam domitamque in Arce?
Quis inde Eoi litora Nerei
Complevit horror? Terret adhuc Scythas
Fatale nomen: terret ipſos
Mamudii, Soſariſque manes.

Is, Joanne Caſtrio Indiæ Prætore, de hoſtium apparatu, & conatibus per literas certiori facto, ſe in omnes firmandæ arcis, & ſervandi præſidii partes intendit. Interciſo ponte, qui ſupra foſſam extructus Urbem cum propugnaculo Jacobæo conjungebat, alium ligneum, ac ferreis catenis verſatilem excitari juſſit. Deinde militares ſtationes diſtribuit; per ſingulos illarum Duces militibus centum, & octoginta diviſis, reliquam manum ſibi ad ſubita belli reſervavit. Cæteriſque diſpoſitis ad repellendum hoſtem neceſſariis publicâ concione ſo-

cios

cios incitavit, ad nominis Chriſtiani gloriam retinendam, ſubeunda pericula, famem, ſitim, vigiliaſque, & ultima perferenda. Inter hæc, Sofar, omnibus jam rebus in proximo comparatis, die Jovis Maioris Hebdomadæ Anni MDXLVI. Dienſem arcem quatere juſſit, ita felici eventu, ut aperta jam multis in locis ad arcem via, inſtarent vehementer Turcæ aggreſſio ne differretur. Non ideo tamen propugnatores ceſſabant, quin immo crebris bombardarum diſploſionibus Mauros fatigabant, quorum multitudo faciebat, ne glandium emiſſarum ictus in irritum caderent. Attamen obſeſſa Arx jam indigebat plurimum ſubſidiis, quæ ne poſſent navigare, hyemale tempus faciebat. Adfuit tamen rebus Deus: nam Indiæ Prætor miſſo cum claſſe Ferdinando filio, vario commeatu, cadiſque ſulphurei pulveris Urbi laboranti ita ſuffecit, ut ſuſtineri aggreſſorum impetus facile poſſet, dum nova obſeſſis auxilia mitterentur. Nec minore Sofares periculo, quam labore, foſſæ implendæ inſtabat, qua in re tanta erat barbari contentio, ac crudelitas, ut ipſis Caſtrenſium foſſorum corporibus, qui a noſtris confodiebantur, ad aggeres facilius implendos uteretur: eâ fortaſſe diſciplinâ contra omnem humanitatem adhibitâ, ſuorum cladem per omnem pene exercitum divulgatam diſſimulaturus: tametſi crebris auxiliis reficiebatur, quibus in horas ſingulas creſcebat

 exer-

exercitus. Quod tandem ubi eſt aſſequutus, ibi Baſiliſcos undeviginti conſtitui juſſit, præter ſexaginta maiora tormenta, & minora quam plurima, quæ in ſtationibus locata erant, qui arcem quindecim ipſos dies perpetuâ diſploſione verberantes, tantum cladis mænibus attulere, ut noſtri extremo coacti uti remedio, ruinis ipſis tegerentur, novis ex dejecto lapide muris, & ſepimentis raptim ac tumultuario excitatis. Ea tempeſtate venerat in Caſtra Rex Mamudius, quo imperante, atque adhortante arcis mænia per continuos dies quatiebantur. Ex continuâ diſploſione Jacobæum propugnaculum ſolutis late compagibus, metuendo hiatu diſceſſit: poterant in eo Turcæ pæne ex æquo cum præſidiariis congredi. Nulla jam ſupererat muri lorica: nullæ omnino in tota arce pinnæ apparebant: omnia muralibus machinis labefactata: ea vero muri pars, quæ duo S. Jacobi, & S. Joannis propugnacula interjacebat, hoſtilium vi tormentorum penitus disjecta fuerat. Jam deſiderabantur ex defenſoribus permulti: ſauciati erant complures: tam pauci nimirum, ac perpetuo pæne labore, quippe diurno nocturnus adjungebatur, fracti, ut ſummopere arduum, ita plane neceſſarium erat, breviſſimo temporis intervallo laceram tot locis arcem reficere intendebant. Laborantibus viris ſtrenuam navarunt operam Dienſes matronæ, inter quas Eliſabethæ

Fer-

Fernandez ſingularis virtus præcipue enituit. Poſtquam Rex e Caſtris aberat, Sofares novum aggerem molitus eſt e regione Thomæi propugnaculi; quem tandem ſtatutæ arcis loco ſublimiori Thomæo Caſtello baliſtæ, paucis poſt diebus penitus evertére. Sofares vero congeſtis dirutæ molitionis ruderibus duo millia peditum circumductam Arci foſſam æquare decrevit, dum cæteri pæne legionarii perpetuâ miſſilium, ac ferrearum glandium jaculatione arcebant a muris propugnatores. Immiſſi tamen per poſticum militari fraudi peridoneum, qui perpetuo egèſtu foſſam latentes exhaurirent; ac tradita per manus rudera ſilentio in arcem aſportarent. Ii deciduam undequaque materiam ità ſubducebant, ut quam integerrimum cumuli faſtigium, fallendi hoſtis cauſâ, relinqueretur. Qua de re Sofares a præfectis fabrum admonitus, dum ad oram valli properat ferociter indignabundus, quod ſua in irritum conſilia caderent, & in dextrum innixus cubitum, Luſitanam cryptam attentius contemplatur, ſuſpenſo, & cogitabundo, nequaquam in ſpem tantæ rei miſſus ex arce globus, manum ſimul, & ſinciput abſtulit. Exercitum univerſum ſtrenuiſſimi Ducis deſiderio publicus mæror invaſit. Noſtris ex arce inſpectantibus, ductum militari, ac politico more funus, tractis per terram vexillis, incondito tympanorum pulſu, tubiſque diſſono clangore ſtre-

 pentibus

pentibus, donec supremâ charissimorum comploratione, & ejulatu cadaver defoderetur. Rumecanes Patri non minus odio, quam muneri, cûm Regia, tum militari designatione succedens bellum strenue persequi cæpit, & sex in locis inchoatam fossæ aggestionem promoveri jussit novis in horas pæne singulas fossoribus, cohortibus, bellicisque machinis in castra venientibus. Lusitanornm numerus adeó decreverat, ut vix ducenti in arce numerarentur, quorum alii labore, vulneribusque, alii morbis ex arcto commeatu, ac pæne corrupto debilitati erant. In gregariis vero milititibus diffidentia paulatim timori locum faciebat. Summa rei frumentariæ, ac bellici apparatus angustia erat. Mare sævum, adultæ hyemnis acerbitas intractabilis omnem auxilii spem eripiebant. Fossâ demum ad marginem usque, labore pæne incredibili, & cruentâ utrinque demicatione exæquatâ, Rumecanes honestas conditiones offert Lusitanis; ad quas cum ferocius responderetur: ipse die XIV. Kal. Augusti, dirutam pæne arcem, innumeris barbarorum manipulis, aere horrido utrinque bombardarum strepitu, & inconditis clamantium vocibus fracto, tanto impetu aggressus est, ac si vellet unâ tantum die bellum absolvere. Lusitani ad periculum propulsandum, ac demendum dedecus mutuo se cohortati, impetu capto; alios a coronâ præcipites dant: alios in

scal is

ſcalis obnixos, contis detrudunt; detruſos, jaculis, & flammarum alimentis, & ſaxorum ponderibus obruunt: in horum locum ſuccedere conantes alii, pari defenſorum conſtantiâ repelluntur: pauci incolumes, magna pars ambuſti, aut vulneribus confecti recedunt. Dienſes matronæ ſociam cum bellatoribus viris jungebant operam. Qui poſtquam hoſtes magna receptâ clade ad caſtra ſe recipere cogerunt, in reparandâ arce occupantur. Paulo dehinc ſegnior obſidio fuit, uſque in diem VIII. Kal. Auguſti, quâ, primo diluculo, uno, eodemque tempore in propugnacula S. Thomæ, & S. Joannis, & in Speculam Antonii Paſſanha factus eſt a Barbaris impetus tam ferociter, ut Luſitani vix periculum ſentirent, & propulſarent. Sed preſentibus animis corripiunt arma: tentantes ab omni parte adytum hoſtes, igne, ferro, lapidibus prohibent: & ubi plurimum ingruebat belli moles, ibi frequentiores obſiſtunt. Ex mulieribus nonnullæ virili animo arreptis haſtis cum hoſte manus conſerere audebant: aliarum hoc potiſſimum die comperta virtus. Sex ferme horas dubiâ victoriâ pugnatum eſt. Ad extremum Rumecanes ſuorum clade perculſus receptui cecinit. Secundum eam pugnam, aliæ deinceps haud abſimili eventu pugnatæ. In iis, præter tormenta, ferrumque, ardentibus maxime jaculis certabatur, maiore oppugnantium, quam

defen-

defenſorum pernicie. Ex eo tempore cum Mamudiani apertâ parum proficerent vi, ſubterraneis operibus oculto graſſari conſtituunt, Porro cuniculorum diſpar, neque uno tempore fuit exitus, Alii ſpecubus, puteiſque, quos Maſcaregnas in idipſum effoderat mature, inutiles facti: alii, non interrupto ſucceſſu, ingentibus detrimentis rem Luſitanam afficére. Longe pernicioſiſſimus omnium fuit is, quem ad S, Joannis propugnaculum direxerunt: ignis enim injectus evulſam ab radicibus turrem in altum ſuſtulit, longeque, ac late disjecit non mediocri clade barbarorum: noſtrorum tamen ferme ad ſexaginta, qui locum occupabant, miſerabili cæde. Hic inter cæteros haud obſcuræ nobilitatis viros Ferdinandus Caſtrius, Joannis Caſtrii filius, qui uná cum Patre in Indiam navigaverat, ab ipſoque ad importandum ſubſidium Dium miſſus fuerat, optimæ ſpei adoleſcens, immaturo fato conceſſit: quippe dum æger ad propugnaculum ſibi commiſſum pugnaturus accurrit, ignis cuniculo conceptus, unà cum loco, quem vivus tenuerat, mortuum abſumpſit, duodeviginti annos natum, neglecto morbo, quem ſanare natura facile poterat, niſi virtus feciſſet immedicabilem. Itaque & Jacobæa, & Paſſania turris, item ſubditis ignibus, nullo defenſorum interitu prociderunt. Thomæa vero, procumbentibus in foſſam ruinis, paratos, atque imminen-

imminentes in irruptionem trecentos e Manudianis oppressit. Quatuor jam menses obsidionem prætulerant Lusitani, cum ex adeo paucis aliqui ferme quotidie aut vulnerarentur, aut caderent. Dirutâ per id tempus arce ruinas suas pro muris, qui nulli erant, Lusitani tuebantur. Hostis superatis propugnaculis, in ipso quasi victoriæ vestibulo triumphum designabat. Accessit inopia, & fames, frugibus, carnibusque consumptis: & præter fæda animalia, quidquid etiam erat fructicosum, herbidum, in alimenta converso, hinc vulgo ingruerant morbi: fessisque & animis, & corporibus, qui arma tractare possent, vix centum, & quinquaginta supererant. Atque ii admodum ægre continebantur, quominus in hostium stationes ultro impetum facerent, vitæque miserias, & ærumnas honestâ morte finirent. In hoc rerum discrimine diu expectatum a Goâ subsidium advenit. Armati supra nongentos cum omni rerum copiâ in arce expositi; qui in barbarorum Castra temere erumpentes, parum fortunæ dimicavere. Post hæc Rumecanes, in Thomæo propugnaculo terram ex inferiori parte erui jussit, ut pondus murorum fulchro destitutum, mole suâ rueret, erepto, cui nitebatur, fundamento. Hanc vero perniciosissimam molitionem Diensis Præfectus opportune disturbavit, novam ex interiori parte munitionem ædificans. Interea Rumecanes conjiciens

jiciens quanto copiarum apparatu, quem fama maiorem profecto vulgaverat, quam re ipsâ esset, Goanus Prætor venturus esset, cujus adventus jam expectabatur in dies, sive ad nostros fatigandos, sive ad conservandam suorum disciplinam, alios, atque alios aperiri cuniculos jussit: quos simul ac deprehendimus, opportune, ut antea cavimus, & elusimus. At Prætor Castrius, appetente vere, coactis omnibus copiis, quæ contrahi e vicinis regionibus potuere (ii fuere, præter navalem, & aliam turbam, Lusitani bellatores mille quadringenti, Canarini auxiliares trecenti) Cambaycam oram ferro, igne perpopulaturus, vastatis locis per regionem compluribus, Dium appulit. Dies erat III. Idus Novembris, Divo Martino Turonensi Episcopo, Christique militi sacer, cum in arcis atrium Prætor descendit, Imperatorio baculo instructus, & undique armatus, tantâ oris, habitusque majestate, ut in eo militari habitu Prætoria dignitas eluceret. Excitata decenter ara, Deo exercituum publice litatum est, ad impetrandam contra impurissimos hostes victoriam, omnesque summâ pietatis significatione cælesti epulo refecti, & Custode Sacræ Franciscanorum Familiæ noxis omnibus Pontificiâ potestate expiati. Ad hæc Prætor valvas arcis convelli jussit, & ad parandum pugnaturis jentaculum, tamquam inutilia ligna comburi,

buri, ut Imperatoris fiducia, & perfugii in summo periculo desperatio, faciliorem sterneret ad victoriam viam, & ad pugnam pertinacissime committendam, vel reluctantes plusquam gloria, necessitas ipsa compelleret. Interea Prætor constitutum classiariis signum edi jussit, quo viso, nautæ hostes terrâ invadere simulantes certatim incitato remorum impulsu agiles classem egére. Et in Prætoriâ sublime vexillum, tormentorum fragor, micantiaque arma, & mixtus hominum vocibus ac tympanorum pulsu tibiarumque concentu Martius tubarum sonus, Castrium cum omni exercitu adesse monstrabant. Ea de causa Barbari, neglecto terrestri periculo, ad maritimum propulsandum citato agmine convolavere. Eodem tempore Prætor cum suis arce eggressus ad novam Urbem, quam Rumecanes a cementis ædificare jusserat, succedit: ac semiplenas milites adorti stationes e vallo dejiciunt: & partim stratos, & partim integros aggeres, murosque, scalis, contis, humeris innixi transcendunt; hostemque obvium hastis, gladiisque conficiunt. Ad ejus rei nuntium Rumecanes vacuam ratus arcem, cohortes aliquot ad eam occupandam circuitu capto jubet extemplo contendere: ii tamen, quamquam patentibus portis, magnâ cum cæde pulsi. Longe maius in apertâ, ac latâ planicie certamen comittebatur. Diu, multumque incredibili utrinque per-

tinaciâ

tinaciâ alternantibus vicibus pugnatum eſt. Donec Mamudiana res retro lapſa fuere, & Luſitana vis ultra ſuſtineri non potuit. Fuſi Mumudiani. Multi in turbâ obtriti, multi a perſequentibus interfecti. Caſtris, & oppido Luſitanus uno die potitus. In oppidanos deinde nullo diſcrimine ſæxus, ætaviſve ſævitum eſt. Sexaginta peditum millia hoſtilis exercitus numerabat: quinque Maurorum millia trucidata: in quibus permulti ex Turcicâ gente, notæ ſtrenuitatis: & Rumecanes: qui ſimul ac perditis, ac profligatis rebus nihil ſpei reliquum vidit, ſplendidiori veſte depoſitâ, humilem induit, ác fortunæ parem: deinde ut ſe victoris iræ ſubduceret, inter cadavera occiſorum jacens dilituit. Lapis tamen haud quaquam in hanc ſpem miſſus mortem jacenti attulit, & a triumphi ludibrio demum eripuit. Hujus ſane homicidii laudem multi ſibi tribuebant, incertum tamen a quo peremptus inter cæſorum acervos vix tandem eſt agnitus. Ex Luſitanis triginta deſiderati, tercenti propemodum ſauciati. Collecta ſpolia, quæ Regio Fiſco ceſſerunt, fuere, præter Regium Cambayæ vexillum, alia vexilla quamplurima, bellica tormenta ad quadringenta, & innumerabilis armorum, ac telorum copia, Caſtrenſis, atque urbana præda militi deripienda ceſſit Prætor, nec ſibi quidquam prorſus reſervavit, Et niſi mea me opinio fallit, dicere mihi videor

jure

jure posse, hanc Diensem expeditionem omnium, quas in Asia gessimus, fuisse gloriosissimam: neque enim unquam obsidionem periculosiorem sustinuimus, nec atrociorem pugnam pugnavimus. Totam hanc Diensem expeditionem P. D. Josephus Barbosa, nostræ Congregationis ornamentum ingens, & patriæ singulare decus elegantissime cecinit in *Archiathænæo Lusitano* (quod opus profectó est summæ eruditionis, & nobilissimi acuminis tanti viri egregium monumentum; in illo siquidem elucet judicium peracre, & maturum, ingenium acutum, & sublime, assiduum studium, & perennis applicatio, eaque in tantâ rerum dicendi copiâ vis, atque constantia, ut sui semper similis, idemque prorsus videatur) ubi sic ait pag. 83.

Non fert impatiens Lusos gens Maura, rebelle
Corde odium simulans durum parat impia bellum.
Ergo belligero fremit India tota tumultu,
Exitiumque Dio quá ferro, quá igne minatur.
Barbara primus agit Mahamudius agmina Princeps
Cambayæ qui regna tenet, qui pectore priscum
Vulnus alit, Lusoque putat sanare cruore.
Maurica castra locat tristem minitantia cladem.
Dux equitum, peditumque vafer Sofarius, ille
Turpiter acceptam legem qui ejurat Jesu.
Obsessis jam nulla salus, necis imminet horror:
Aspera bruma furit, sonat æthere dira procella,

Nau-

Naufraga cymba perit furibundo concita vento,
Optatamque negat stationem navibus æquor.
Deficit auxilium, sola est in pectore vintus.
Cinctum cerne Dium, pressumque hostilibus armis,
Quin subeat præsens tanto medicina periclo.
Arma movet Maurus, Lusus movet arma vicissim,
Terra termit sonitu, densis gemit ictibus æther.
Ignitis truculenta volat mors glandibus, atras
Inducit tenebras nitratus pulvis, & arcem
Distinguunt rapido Balistæ lumine crebræ.
Mænia concutiunt Mavortia fulmina, cædunt,
Et disjuncta loco minitantur saxa ruinam.
Sedulus oppugnat Dux propugnacula, pugna
Fervet ubique ferox, Lusi dejecta tuentur
Mænia confecti, majoraque viribus audent.
Jam nimio defessa jacet natura labore,
Jam periit ferro sociûm pars magna cruento:
Munimenta ruunt ictu labefacta frequenti:
Hostibus ipsa fames urget crudelior hostis,
Aggereque esuries sic viva cadavera cinctos
Reddit, ut in vanum tentant se opponere Mauris.
Dum tamen extremo Lusi discrimine vitam
Dogmate pro sacro, patriâque effundere curant,
Ecce maris domitor generosus Castrius, urbem,
Indica quà prudens, & justus regna gubernat,
Deserit, obsessis laturus classe salutem.
Prospicit; ast oculis saxorum incondita moles

Sese

Sese offert miseranda piis; Prætoria littus
Jam tenet, & reliquæ fundantur dente tenaci.
In Mauros juvat ire feros, juvat ire per arcis
Ostia, quæ Prætor crepitantibus urere flammis
Imperat intrepidus, coquat ut jentacula miles.
Armatas nunc cerne acies procedere longo
Ordine, Lusiadum nunc aspice signa volare,
A Cruce quæ decorat Christi pendentis imago.
Vix tuba terribilem sonitum dedit ære recurvo,
Astra ferit clamor, resonant tormenta fragore
Bellica fulmineo; pugnatur cominus ense:
Hic cadit, ille fugit; tentat certamina fortis,
Vimque inferre parat, sed frustrà, fortior alter
Irruit, & ferro spirantia viscera figit.
Agmina jam cedunt Mauri numerosa potentis,
Maxima jam claro plaudit victoria Luso,
Armaque victores horrentia ponere curant.
Concitus at cæcâ Dux Rumecanius irâ
In nova desperans fugitivos prælia cogit.
Rursus ad arma volat, præceps furor arma ministrat,
Ut spoliet Lusum palmæ sublimis honore.
Castrius at noscens renovata pericula belli,
Ne mora segnitiem pertendat parvula lentam,
Fertur in adversos clypeo protectus, & ense:
Ac veluti torrens undarum pondere labens
Obvia quæque rapit; sic Castrius ille phalanges
Demetit hostiles, vanoque furore tumentes

Sternit humi, non pelta juvat lunata, feroces
Deponunt animos, atque arma minacia quondam
Abjiciunt, Lusis renovent ne crimina visa,
Seu potius dare terga queant velocibus alis.
Ingemit ille, alius confossus vulnere vitam
Deserit; ipse suo submersus sanguine Maurus
Dux jacet, & tristem respirant omnia scenam.
Horruit, expavit tanto tremefacta triumpho
India; conticuit penitus gens barbara; terror
Occupat ignavus, quos Mars incenderat ante.

Cæterûm juvabit etiam lectorem scire quis fuerit Joannes Castrius. Is igitur non minus sanguine, quam virtutibus clarus natus est Olyssipone tertio Kal. Martias, anno a partu Virginis millesimo quingentesimo, ex Alvaro Castrio, Civilis Curiæ Præfecto, & Eleonora Noronia, filia Joannis Almeida, secundi Comitis de Abrantes. Puerile tempus literarum studio exegit, Mathematicis Disciplinis præcipue incumbendo. Adhuc juvenis uxorem ducit Eleonoram Coutinho, primariæ nobilitatis feminam, & consanguineam. Tingin profectus est, ubi prima dedit, nec ea quidem vulgaria, bellicæ virtutis documenta, ibique ab Eduardo Menezio Urbis Præfecto eques inauguratur. Vocatus in Aulam est a Joanne Rege hujus nominis tertio, sed perinde, quasi generosos ejus spiritus Lusitania non caperet, una cum Garcia Noro-

nia

nia navigavit in Indiam. Socius fuit Stephani a Gama in expeditione contra Turcas susceptâ ad Persicum fretum, ejusque itineris acuratissimum diarium descripsit, opus navigantibus utilissimum. Regressus in Patriam iterum arma sumpsit, gloriosa Caroli III. Imperatoris secutus signa in expeditione Tunetanâ, in qua novam, nec vulgarem suo nomini gloriam comparavit. Lusitaniam repetens in rusticanum Cintræ secessum se abdidit, unde revocatus a Rege litoralibus classibus Præfectus est, ad tutandam a piratis maritimam oram, quod ille munus summâ omnium gratulatione, cum strenue, tum feliciter exercuit. Demum ad Indiam administrandam profectus est, ubi crebris, præclarisque victoriis Lusitanam ditionem tutatus, insigni honore gentis suæ nomen affecit: copioso, & luculento tractatu maritimam oram, quæ inter Goam, Diumque interjacet, geographice comprehendit. Post partam Diensem victoriam Pro-Regis titulo a Joanne III. honoratus est. Obiit tandem præclarus vir Ecclesiæ Sacramentis rite munitus octav. Id. Jun. anno a Christo nato MDXLVIII. ætatis suæ 48. Defuncti cadaver in Cænobium S. Dominici de Bemfica translatum est, & in magnificentissimo Mausolæo conditum, hac Epigraphe inscripto.

D. Joannes de Castro XX. pro Religione in utraque Mauritania stipendiis factis navata strenue

 opera

opera Tunetano bello, mari rubro felicibus armis penetrato, debellatis inter Euphratem & Indum nationibus Gedrosico Rege Persis Turcis uno prælio fusis, servato Dio, immo Reipublicæ reddito, dormit in magnum diem, non sibi sed Deo Triumphator publicis lachrymis compositus publico sumptu præ paupertate funeratus. Obiit octavo Idus Junii. Anno MDXLIII. Ætatis suæ XLVIII.

Denique te moneo, quod cum in hoc libello latini sermonis integritati consulens *Fata*, *Numina Deos*, *Jovem*, aliasque hujusmodi voces adhibeo, id omne incorrupto Sanctæ Matris Ecclesiæ judicio subjectum volo.

FA-

FACULTAS

Congregationis.

D. *Cajetanus de Gouvea, Præpositus hujus Domus S. Mariæ de Divina Providentia, authoritate nobis concessa à* Reverendissimo Patre *Generali D. Nicolao Antinori, facultatem facimus Thomæ Cajetano de Bem nostræ Congregationis Clerico, ut typis mandare possit Opus inscriptum:* Castreidos, *jam revisum, & approbatum, servatis iis, quæ de jure servari debent: in quorum fidem præsentes literas dedimus. Ulyssipone Occidentali, die 26. Augusti,* 1737.

D, Cajetanus de Gouvea.

FACULTAS

Tribunalis S. Inquisitionis.

CENSURA R. P. M. JOSEPHI TROIANI, e Congregatione Oratorii, Sacræ Theologiæ Lectoris, & Tribunalis S. Inquisitionis Consultotis.

EMINENTISSIME DOMINE.

MOle quidem parvum, sed carminis venustate præclarum, & eximium libellum, primâ fronte inscriptum *Castreidos libri quinque*, Authore dexterrimo sane vate, & in Musis Lyræ solertibus apprimé versato, admodum Reverendo Patre, Thoma Caietano de Bem, Clerico Regulari, cum perspexissem per singula, in Fide sanum, in aliis bene moratum inveni. Illud proximé mirum, Authorem teneros (quos ingenué fatetur) primæ pubertatis annos, ea maturitate celare, ut uberrimos provectioris ævi fructus ultra ætatem edere videatur. In eo siquidem gregarios Poesis Cultores floci pendens, ita Maronem affectat, rebusque Castreis inge-

ingenioſe accomodat, ut ipſam, quod aiunt, divinam redolere videatur Æneidem. Qua propter dignisſimum judico, qui cito edatur in lucem. Ulysſipone Occidentali é Congregatione Oratorii, die 20. Maii ann. 1739.

Joſephus Troyanus.

CENSURA R. P. D. Fr. JOSEPHI PEreira a S. Anna, Ordinis Carmelitani, Tribunalis S. Inquiſitionis Conſultoris, in Sacra Theologia Doctoris, & Lectoris Emeriti.

EMINENTISSIME DOMINE.

EGregium opus poeticum, cui titulus *Caſtreidos libri quinque*, Authore Reverendo admodum Patre Thomâ Caietano de Bem Clericorum Regularium præclariſſimo germine, commendare potiús, quam cenſere vellem. In eo enim habent tyrones quod diſcant, quod doceant profesſores, quod tandem admirentur univerſi. Merito igitur Poetarum Princeps proclamabitur, qui optimorum robur facilimé æmulatur. Cúm igitur, recognito volumine, omnia pura, ſanaque contine-

re

re inſpiciatur, quód typis mandetur digniſſimum, ac utiliſſimum judico. In Regali Ulyſſiponenſi Carmelitano Conventu, die 23. Junii anno Domini 1739.

D. Fr. Jozephus Pereira de S. Anna.

VIſtas as informaçoens, podeſe imprimir o Livro de que ſe trata, e depois de impreſſo tornará para ſe conferir, e dar licença que corra, ſem a qual naõ correrà, Lisboa Occidental 26. de Junho de 1739.

Alancaſt. Silva. Soares. Abreu.

DO ORDINARIO.

POde-ſe imprimir o Livro de que ſe trata, e depois de impreſſo tornarà para ſe conferir, e dar licença para que corra. Lisboa Occidental 9. de Julho de 1739.

Gouvea,

DO

DO PAÇO.

APPROVAÇAM DE DIOGO BARBOſa Machado, Abbade de S. Adriaõ de Sever, e Academico do numero da Academia Real.

SENHOR,

O Poema heroico intitulado *Caſtreidos* compoſto por Thomaz Caetano de Bem Clerigo Regular, que V. Mageſtade commetteu ao meu exame, naõ ſômente he izento das ſeveras Leys da Cenſura, mas acrédor dos immortaes applauſos da Fama. He o ſeu argumento a glorioſa Vitoria alcançada ha quaſi dous Seculos pelo invencivel braço daquelle clariſſimo Heroe D. Joaõ de Caſtro, que deixou indeciſa a poſteridade ſe foy mais inſigne no valor, ſe na piedade, quando na famoſa Praça de Dio celebre Theatro das façanhas Portugueſas ſepultou debaixo das ſuas Muralhas a orgulhoſa potencia do Princepe de Cambaya; e ſendo eſte memoravel ſucceſſo narrado pela elegante penna de hum Floro, qual foy o grande Jacinto Freyre de Andrada, faltava para ultimo complemento da ſua gloria, que foſſe cantado por hum Virgilio, cuja empreza dezempenhou o Autor com tanta felicidade,

dade, que ſe fora verdadeira a tranſmigraçaõ das Almas, ſe podia crer, que lhe animava a penna o eſpirito do Princepe da Poeſia Latina aſſim na imitaçaõ do Enthuſiaſmo, como na mageſtade do eſtilo. Para produzir eſte metrico parto concebido na idade juvenil naõ eſperou pelas demoras do tempo; anticipouſe a arte com enveja da natureza a que juntamente floreceſſe, e frutificaſſe coroando-ſe no verdor dos annos com a madureza de frutos colhidos no frondoſo cume do Parnaſo, a cuja inacceſſivel altura ſubio deſde a infancia mais com voos, do que paſſos. Neſte Poema ſe admiraõ exactamente obſervados os preceitos, que promulgâraõ os rigidos Legisladores da Epopeya. O furor poetico, que divinamente o arrebata, compete com o militar, que conſeguio taõ celebrado triunfo. Naõ lhe confunde a ſuave armonia das vozes o horroroſo eſtrondo das armas, antes o fogo deſpedido por tantos inſtrumentos de ferro, e bronze lhe illuſtra o entendimento, e inflama o peito para com mayor actividade repreſentar os varios accidentes de hum conflito, de que aſſombrado foy expectador todo o Oriente. Naõ he poſſivel, que neſte Poema ſe deſcubra alguma clauſula contra o Real Serviço, quando hum dos ſeus Epiſodios ſe ennobrece com o Auguſto Nome de V. Mageſtade, que lhe communica o ſingular indulto

de-

de ſer eternamente applaudido , e reſpeitado na poſteridade. Eſte he o meu parecer , V. Mageſtade mandarâ o que for ſervido. Lisboa Occidental 16. de Agoſto de 1739.

Diogo Barboza Machado.

QUe ſe poſſa imprimir, viſtas as licenças do Santo Officio, e Ordinario, e depois de impreſſo tornarâ â Meſa para ſe conferir , e taxar, e dar licença , e ſem iſſo naõ correrâ. Lisboa Occidental 22. de Agoſto de 1739.

Pereira. Coelho.

CASTREIDOS LIBER I.

Argumentum.

JOannes Castrius, e Goa in auxilium Dii navigans, vi tempestatis premitur, quam excitat Bacchus, consiliato sibi Æolo. Sedat tempestatem Neptunus Veneris precibus; quæ apud Jovem de Lusitanorum calamitate queritur. Juppiter evocato Deorum Concilio, in Lusitanorum partem se declarat.

ARma, Virũque cano, superato denique ponto,
Qui Mavorte ferox insignem sedulus arcem
Jamjam labentem, cæso Rumecane, Diensem
Obsidione gravi solvit, victasque feroces
Lunigeras memorandâ acies virtute subegit.
Ille quidem multum pelago jactatus in alto
Numinis Odrysii memorem crudelis ob iram:
Multa tamen virtute dedit miracula mundo,

Nobilis unde polo Lysiæ se gloria tollit,
Quam poterit numquam præceps abolere vetustas.
Magnum opus aggredior: perterrita mole laborum
Mens nutat: quis bella quidem, quis grandia tanti
Facta Viri, & palmas difuso ex hoste relatas
Victricesque potest acies æquare canendo?
Tu modo, Calliope, vatum decus, inclita Phæbi
Gloria, pande viam cæptis, data namque potestas
Est tibi magna quidem, quando tu pectora vatum
Fatidicis afflas animis, sacroque furore
Perfusos arcana doces mysteria rerum,
Et cogis divina loqui, si carmina Vati
Inspiras, mentemque imples, viresque ministras.
Tu vatem ignarumque viæ, insuetumque labori,
Diva, move, ac nostris jam læta adlabere votis.
Tu mihi tantarum primâque ab origine rerum
Nunc causas memora: tantum cur numina Bacchi
Læsa, refer! quid ve ille dolens tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores
Impulerit? Tantæne animis cælestibus iræ!
Adsis o tandem, & tua per vestigia euntem
Desere ne, tenuique tubæ vim, Musa, canoram
Inspira, ardentes dum accingor dicere pugnas.
Tuque adeo Heroum soboles generosa parentum
Annue, None meis nunc o Clarissime votis

Dum

Dum tibi me voveo, mea ſi te digna Patrono
Muſa, tuo ut tanto mihi publica commoda præſtes
Nomine, & ipſe tuis memet ſplendoribus ornem.
Nubila ſi denſà maculent caligine Cælum,
Vel ſurgant venti, aut ſurgat nimbóſus Orion,
Et pelagus cumulos ad ſidera tollat aquarum
Noſtræ in damna ratis, canibuſque latrantibus oris
Naufragium ſævis jactatæ ſaxa Carinæ,
Quod ſolet Authorum mentes turbare, minentur,
Auſpice te, Princeps, procul abſunt cuncta pericla;
Non gelidus timor ire vetat, vocat aura, mihique
Sidus ades magnum: rutilum ſecurus ad axem
Te præeunte ferar, votis modo, Maxime Princeps,
Subſcribas, præſenſque favor juvenilibus auſis
Præſtet opem, noſtroque Maro te pectore verſes
Quanvis bis decimus nondum mihi venerit annus,
Vixque genas primâ lanugine veſtiat ætas,
Tempus erit quondam, luſtris labentibus, ipſa
Cum matura viri ſeros indulſerit annos,
Ut graviora feram, doctaſque juvantia mentes.
Qua fluit auriferis Ganges ſpumoſus arenis,
Murmure quà rauco circum rigat arva beata
Fæcundos lætatus aquis frondeſcere campos;
Urbs antiqua jacet, quam Dium nomine dicunt,
Dives opum, ſtudiiſque feri notiſſima Martis.

Hæc munimen habet nullo quassabile ferro,
Naturam, sedemque loci, nam clausa profundo
Undique præcipiti; scopulisque vomentibus æquor
Exiguo debet, quod non est insula colli.
Murorum ipsa minis, excelsisque ardua pinnis
Quà sedet, obscænis seu dedignata lacunis,
Subducit caput, & puras extollit in auras.
Lysiaci tenuere viri, quos poplite flexo
Indus adoravit terrore oppressus, & armis.
At Deus excelso Nisæ de vertice tygres
Qui festivus agit, sic credidit alta vetustas,
Quem populi Bacchum dicunt, aliique Lyæum,
Et genuisse Jovi Semelem fert fama parenti,
Quæ moritur diro Junonis fulmine tacta,
Hanc urbem, veluti cecinere oracula vatum,
Posthabitis coluit terris magis omnibus unam
Quas Oriente habuit domitas victricibus armis,
Namque sibi centum sacris altaria donis
Illic perpetuis, divino ac thure calebant.
Hinc populum late regem, belloque potentem
Optabat longe gratâ depellere ab urbe.
Non olli irarum causæ, sævique dolores
Exciderant animo: manet altâ in mente repostum
Ausum ingens Gamæ, & rapti virtutis honores.
His super accensus, metuensque futura, ruinam

Ut reparare queat, ſedet imo in pectore fixum
Excidium Luſi, longeque arceſſere Dio
Illum animo movet, hoc certũ, immotumq́ volutat.
Infenſamque ſatis truculento in pectore fraudem
Cogitat ut valeat totam diſperdere Claſſem.
  Interea placidis pandentes turgida ventis
Carbaſa Luſiades ſulcabant marmora nautæ
Neptuni, fluctuſque atros Aquilone ſecabant.
Liber at æternum ſervans ſub pectore vulnus
Tunc tacitus diro percuſſus corda dolore
Hæc ſecum. Mene incæpto deſiſtere victum?
Nec poſſe inviſam Luſorum evertere gentem?
Quæ me fata vetant? Pallaſne exurere claſſem
Argivum, atque ipſos potuit ſubmergere ponto
Unius ob crimen? Trojamne infeſta cremavit
Ipſa Jovis Conjux? Penitus furientibus Auſtris
Disjecitque rates, ſcopuloque infixit acuto
Relliquias Troas Danaum, atque immitis Achillei?
Aſt ego quem genuit Pater omnipotentis Olympi,
Totque opibus clarus, tantis atque artibus auctus,
Fata favere aliis patiar, queis nomina, vires,
Geſtaque noſtra ruant? Credo mea numina tandem
Feſſa jacent, namque ipſe una cum gente tot annos
Bella gero, & numquam victricem perdere gentem
Infelix potui: & quis erit qui numen adoret

 Præ-

Præterea nostrum? Cumulet qui altaria donis
Sacratis, supplexque aris imponat honores?
Non sic: namque prius quam naves litora tangant,
Et teneat nostras Ductor celeberrimus oras,
Nos talem arcano fraudem conflabimus astu,
Possit ut optatos numquam contingere fines.
Hæc tacitus postquam flammato corde revolvit,
Æthere descendit furiis agitatus iniquis,
Nimborum in patriam, loca fæta immanibus Austris,
Æoliamque venit. Vasto Rex Æolus antro
Hic tenet inclusos æterno carcere ventos;
Illi indignantes circum resonantia namque
Claustra fremunt, & quisque prior cupit antra revulso
Cardine deserere, & superos exire sub axes
Lucida spumanti mixturus sidera ponto.
Ad quem sic Bacchus turbatâ mente loquutus:
Ventorum Rex Magne, Jovis certissima proles,
Sedibus æthereis ad te delapsus Olympi
Huc venio, quæroque vias in sedibus istis,
Cum cælum invisum, satis & contraria nobis
Fata quidem, possim queis perdita nomina Cælo
Instaurare, measque iterum reparare ruinas,
Solus enim infandos poteris lenire dolores:
Namque tibi ventos late frænare superbos,
Atque reluctantes tenebrosis solvere vinclis,

Rex

Rex dedit omnipotens, nutu qui temperat orbem.
Gens inimica mihi Neptuni navigat æquor
Urbis in auxilium roſtratâ Claſſe Dienſis:
Incute vim ventis, illoſque afflare minaces
Impera, & audaces penitus ſubvertere nautas.
Ipſe etenim (mitto veteres iterare querelas,
Et mihi terribilem fando renovare dolorem)
Luſiadas contra nil heu! nil numina, poſſunt!
Sic placuit Superis; quando ... plura ille volebat
Dicere, ſed lacrymæ voces prohibere cadentes.
Æolus hæc contra. Tuus eſt, o Bacche, quid optes
Explorare labor, mihi ſtatque faceſſere juſſa.
Quid metuis? quam turbato tibi pectore curam
Mens agitat, depone precor, furor ipſe recedat.
Facta puta quæcunque velis; mora nulla retardet,
Quam primum indulgens votis, precibuſque juvabo.
Hæc ubi dicta dedit, converſâ cuſpide montem
Impulit in latus, ac venti velut agmine facto
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.
Nox erat, & medio radiabat Cynthia Cælo,
Innumeræ circum ſtellæ, flammæque minores;
Maioreſque faces innatâ luce micabant.
Augebat flammas Luna, & certamine pulchro
Reddebant ſtellæ radios, quos Lunā vibrabat.
Cum ſylvæque, urbeſque ſilent, cum feſſa labore

 Acci-

Accipiunt placidos mortalia pectora somnos.
Non fera, non volucris, non picto corpore serpens
Dant sonitum, jamque in cineres concederat ignis
Ultimus, & serâ perfusus membra quiete
Scruposo senior caput adclinaverat antro.
Cum subito obtegitur totus, trepidabile visu,
Æther, & inclusus latuit nigrantibus umbris.
Omnibus incubuit caligo miserrima terris,
Nubibus & rutili faciem fœdavit Olympi;
Omne latet sidus, geminatur noctis imago.
Aspera crescit hyems, omnique a parte feroces
Confligunt Zephirusque, Notusque, & lætus eois
Eurus equis, sævitque minaci murmure pontus.
Continuóque atros volvit sub litora fluctus
Neptunus: terrorem auget grave murmur ab altis
Cautibus erumpens, longéque gementia tractu
Saxa: tument ventis undæ, lateque profundum
Fluctibus erigitur, cælumque æquare videtur
Æquor, & inductas aspergine tangere nubes.
Inque fretum credas totum descendere Cælum,
Inque plagas Cæli tumefactum ascendere pontum,
Et mare se Cælo, Cælum se immiscier undis.
Tot formidandi fluctus volvuntur aquarum,
Et tanto strident Neptunia regna furore,
Ut stupeant omnes quod non fera subruat unda

Clas-

Claſſem, jamque timent ſcopuloſo immergier imo,
Namque rates fluctus nunc alta ad ſidera tollunt,
Nunc & dejiciunt ſecreti ad viſcera ponti.
Nec non æthereo mortalia pectora terrens
Intonat axe fragor, magno domus ardua cæli
Concuſſuque tonat, longe, lateque remugit.
Extimuit natura chaos: rupiſſe videntur
Concordes elementa moras, rurſuſque redire
Confuſam in molem: divulſi mænia mundi
Diſſiluiſſe putes; ſubitis micat ignibus æther
Nubibus abruptis; iterumque, iterumque fragore
Terrificant animos, præbentque micantia lumen
Fulmina; quæ certe non tam fera miſit ab arce
Juppiter æthereâ, quando cædiſſe Gigantes,
Et ſuper impoſitam molem ſtraviſſe refertur.
Illa videbatur rurſus ſævire procella,
Quâ quondam humanam prolem Regnator Olympi
Perdere decrevit, quando & duo pignora ſolum
Manſerunt hominum, quæ noſtram extollere poſſent
Progeniem, æternis quæ viribus occupet orbem.
Intonuere lacus ſtygii, merſæque tenebris
Fulmina ſenſerunt Herebææ jacta ſorores.
Caucaſus, & Rhodope ſenſit tunc, Pindus, & Atlas
Cælifer, & Cilicis ſenſere cacumina Tauri.
Tempeſtas ſine more furit, furit ipſa magiſque

Ven-

Ventorum rabies; pontus, cælumque tenebris
Clauditur; exanimant nautæ,namque asperus imber
Temonem rapit e manibus, mergitque magistri.
Disjicitur malus, discissaque carbasa in auras
Mille in frustra volant,antennarumque, rudentũque
Haud quidquam superest: jam quid jubeatve,velitve
Ipse ratis rector nescit, compage carinæ
Percussâ accipiunt imbrem, rimisque fatiscunt.
Deficit ars,animique cadunt, totidemque videntur,
Quot veniunt fluctus, ruere,atque irrumpere montes,
Extremumque viris intentant omnia fatum.
Nauticus in totâ clamor ferit aera puppi,
Exclamantque omnes, cælestia numina voce,
Et lacrymis placare parant, Divumque reposcunt
Auxilium, gemitusque etiam per inania fundunt
Quo valeant miseri fluctus projicere, cuncti
Festinant; est una salus, labor omnibus unus.
Castrius interea cunctis fortissimus Heros,
Cum videat stygium navem descendere ad orcum,
Sidereasque domos attingere postea Cæli,
Attonitus tendens geminas ad sidera palmas,
Auxilium vocat, atque Deum sic voce profatur.
O Pater Omnipotens, placidis qui cuncta gubernas
Nutibus, & cunctis certa es custodia rebus,
Tu nostri miserere precor, tuque æquore tantis

Fluctibus ipſe fave preſſis: an non ſumus illi
Luſiadæ, ſemper tantum quos æquus amaſti?
Nunc ſuccurre malis, damnis ſuccurre benignus.
Quo me fata vocant? O terque, quaterque beati
Queis Tingitanæ duris ſub mænibus arcis,
Vel Lybiæ campis Maurorum cuſpide preſſis
Contigit oppetere, atque brevî diſcedere vitâ
Dulcia pro patriâ pugnando funera paſſi,
Et quorum æterno ſublimia fata coruſcant,
Illos dum celebris vehit alta ad ſidera fama.
  Talia jactanti diro certamine ventos
Horribiles pugnare putes, nam turbida creſcit
Nunc magis, atque magis ſævis violenta procella
Flatibus, & tumidos neſcit componere fluctus.
Fulmina dira cadunt, ſonituque trementia pulſant
Corda virum, fulgore atro nox atra relucet.
Incubuere mari: tandemque procella carinas
Horrendum ſtridens ventoſa per æquora laſſas
Diſpergit, rapidis jactantur & undique ventis.
Franguntur remi, tum prora avertit, & undis
Dat latus, inſequitur cumulus præruptus aquarum.
Hi ſummo in fluctu pendent; his unda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit, furit æſtus arenis.
Cynthia nocturnum jam tunc confecerat orbem,
Lucifer eous nitidum ſolem ante ferebat

Jam

Jam lucem, & primâ lustrabat lampade terras,
Monstrabatque diem miseris mortalibus almam
Assuetas referens curas, solitosque labores.
Cum Cytherea Venus, toto quæ pectora Lusos
Blanda fovet, superâ classem prospexit ab arce
Jactatam ventis: stetit acri fixa dolore,
Terque caput quatiens mæsto sic pectore fatur.
Hoc opus est Bacchi, certe sunt ista Lyæi
Facta, sed incassum, nam mens perversa furores
Non feret ulterius: Lusis illata patebunt
Dāna mihi. Hæc dicens tumidas descendit ad undas
Occeani, celerique volat per inania cursu,
Neptunum alloquitur, dictisque inspirat amorem.
Clara patris soboles Saturni, Maxime Princeps,
Numina quem pelagi summo reverentur honore,
In te siqua potest, vestras vel forte per aures
Nomen iit Veneris, jactatis æquore ventis
Lusiadis succurre meis, pelagique furentis
Horrisonas compesce minas, compesce furores
In mea damna suos, & aperta pericula nautis.
Non tulit impatiens Venerem tunc dicere plura
Neptunus, motosque jubet componere fluctus.
Jam ponto redit alta quies, jam lenior aura
Componit pelagi rabiem, positoque tumultu
In nova pacati coierunt fædera venti.

Non

Non jam ſævit hyems, non jam volvuntur aquarum
Ingentes cumuli, nec turbant æthera nimbi;
Sed lentis Zephyrus volitans ſuper æquora pennis
Æquali placidas afflatu lævigat undas,
Aut ſuavi tremulos criſpat ſpiramine fluctus;
Et brevibus rugis ſulcat mare: nulla procellas
Sidera progignunt, non fax inimica Capellæ,
Non Hyades pluviæ, non importunus Orion.
Blanda maris facies pacatas ardua puppis
Radit aquas, mollique fluit per cærula lapſu.
 Aſt Erycina Venus poſtquam placaverat æquor
Succeſſu dolet: auxilio defeſſa relinquat
Nequid inexpertum, radiantia limina Cæli
Conſcendit, ſedemque Jovis, quâ numine ſummo
Dat leges Superis, & publica munera tractat;
Utque magis poſſit magno placuiſſe Tonanti
Regalem ex humeris clamydem ſuſpendit, acuque
Pictum opus induitur, funditque per ora ruborem
Candida purpureum, rubro ſtant labra colore.
Sparſerat illa ſuos per eburnea colla capillos,
Qui fulvum obſcurant aurum. Ceu ſidera fronte
Scintillant oculi, toto ſtat gratia vultu:
Triſtitiam pariter riſumque ſerena venuſtum
Oſtendit facies; Superum ſic illa Parentem
Alloquitur lacrymas verba inter ſingula fundens:

Au-

Auxilio, Pater alme, tuo fore læta putabam
Lusiadas, gens chara mihi, quam pectore toto
Jampridem foveo: quondam volventibus annis
Perpetuos rerum dominos, Oriente subacto,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
Tu mihi pollicitus, quæ te sententia vertit?
Quisve Jovis mentem mutat Rectoris Olympi?
Nam modo dira quidem, fatis & contraria versat
Sors Lusos adversa meos: Mahometica turba
Gens ininica truci minitatur clade ruinam
Extremam Dio, nec spes est ulla salutis.
Castrius ingenti rebus succurrere lapsis
Classe venit, Bacchi memorem crudelis ob iram
Quæ jactata mari sævis Aquilonibus errat.
Hic pietatis honos? Sic nos in sceptra reponis?
Sed quid pluta queror? Fiant optata Lyæi,
Meme infelicem reputabo. Verba reliquit
Imperfecta, cadens oculis tunc largior imber.
Olli subridens Divum Pater, atque hominum Rex
Extergit lacrymas, iratæ ut viscera natæ
Leniat, & placidam captent turbata quietem
Multa super fortes referans oracula Lusos
Immensos Veneri casus, olimque futura,
Præsentes reddit, tandemque hæc ore profatur.
Filia pone metum Cytherea, pericula Lusos

Nulla

Nulla prement; qui nunc errat maria omnia circum
Castrius, attonitâ Cambayâ; sedulus arcem
Lunigerum solvet funestâ clade Diensem.
Sed quia Cælicolis rerum divisa potestas,
Explorare juvat quæ nam sententia mentes
His super illorum teneat. Sic ille loquutus
Tum Majâ genitum, qui fervida dicta reportet,
Imperat acciri. Cyllenius adstitit ales
Somniferam quatiens virgam, tectusque galero,
Cui mandat toto Divos accersere Mundo.
  Arcas jussa patris parat, & talaria plantis
Aurea, quæ vectum ventis per inania portant,
Induit, atque celer rapidis non segnior Euris
Astra secat, sulcat zephyros, & navigat auras.
Prosequitur surgens a tergo ventus euntem,
Intenditque Notis celeres felicibus alas,
Jamque videt terram, quam Arcturi ex parte rigentis
Occiduique maris tumidis uberrimus undis
Circuit Occeanus: partem, quæ vergit ad Austrum,
Herculeum pelagus frigidis late abluit undis.
Ex parte Auroræ nascentis terminat illam
Terra Asiæ dives, Tanaisque opulentus ab altis
Montibus emanans Ryphæis tramite curvo,
Inque altam exonerans sua flumina læta paludem.
Jamque per Æthiopas, pluvio devectus ab Austro,
Tran-

Transierat Thebas, & nigri Memnonis arces;
Cumque Parætonio calidas Mareotidos undas.
Segnior auditur sedato murmure Nilus,
Aerioque Casos se vertice nubibus abdit.
Est post terga Pharos, terræque, urbesque recedunt,
Effugiuntq́ aciem. Cælum undique, & undiq́ pontus.
Nusquam terra patet. subito cum vesper ab atro
Consurgens Boreas sese contrarius offert;
Emittitque hyemem, tempestatesque sonoras,
Ne meminisse viæ possit, retroque coactum
Excutiat cursu stridens Aquilone procella;
Mercurius contra nunc huc, nunc vertitur illuc;
Obliquatque sinus pennarum, ut tendere contra
Possit, & adversas eludere flexibus auras.
Radit iter liquidum, tandem lateque jacentes
Despectat terras, vitreisque supervolat undis.
Cyprus habet dextram, Minoia regna sinistram:
Carpathus, & Rhodos in medio, geminæq́ Calydnæ,
Pone Lebinthus adest: hinc Melos, & alta Cythéra,
Inde ferax Anaphe, cretosaque rura Cimóli,
Illic Myrtoo jacet Astipalæa profundo:
Hic domus Eurypili, Herculeo direpta furore,
Laomedontææ postquam perjuria Trojæ
Ultus, & hospitio, Coâque repulsus arenâ.
Nec procul Icariis aperitur fluctibus Andros,

Actæo-

Actæoque ſinu tellus, ubi Juppiter olim
Luſerat Æginam falſis Aſopida flammis.
Nulla ſed Arcadiâ ſuccurrit gratior ora,
Qua ſibi prima puer natus cunabula legit,
Primus & inſano Dryopis ſuccenſus amore.
Sæpius hanc flexo poſt tergum reſpicit ore,
Et fors omne datum traheret per talia tempus
Maturare viam, ni magni juſſa parentis
Urgerent, monituſque moras ſuſpenderet omnes.
Ille Diis referens Superi mandata Tonantis
Ad Cælum paribus rurſum ſe ſuſtulit alis.
Qua via ſublimis Cælo manifeſta ſereno
Lactea ſtat, magni ad regalia tecta Tonantis
Hac iter eſt ſuperis venient quique atria longe
Obſervant, quique arcanis penetralibus adſtant,
Præterea quos Eoos Aurora per ortus,
Et quos occiduæ propior videt Heſperus oræ.
Namque ferunt olim cum leges conderet æquus
Rex Superum, & valido mundum ſuſpenderet axe
Qui nutu Cælum, terras, maria atque gubernat,
Diverſas ſtatuiſſe domos, diverſaque Divis
Hoſpitia, & dignos meritis tribuiſſe penates
Ordine cuique ſuos. Primum ſpectabilis ipſa
Ante alios ibat Divum Regina Joviſque
Et ſoror, & conjux roſeo pulcherrima vultu

Picta peregrinas tunicas, auroque nitentes:
Aureaque ex humero demissam fibula vestem
Eois opibus gravidam, & Gangetide gazâ
Subnectit, totam fulvum discriminat aurum,
Cui caput implicitum gemmis, it flexile collo
Aurum ingens mixtis, onerosa mobilia, bacchis;
Propexique nitent electro molle capilli,
Colligit in nodos quos nexilis aureus hamus.
Dum graditur, mirantur eam; non pulchrior exit
Phosphorus é media gravidæ caligine nubis
Nec Sol ex gelidæ noctis nigrantibus umbris
Disjectis late nebulis formosior ora
Explicat, & pulchrum spargit toto aere lucem.
Nec non ætheræo venit Saturnus Olympo,
Saturnus, cui cana coma, & cui sordida vestis,
Progenies Cæli, & Vestæ, qui dura Tonantis
Arma olim fugiens regnis fuit exul ademptis.
Hic genus indocile, & dispersum montibus altis
Composuit, cui jura dedit, Latiumque vocavit;
Sæcula, fama refert, illo sub rege fuere
Aurea, sic placidâ populos in pace regebat.
Proximus huic sequitur Neptunus, sæva tridenti
Æquora qui mulcet. Formosa Salacia conjux
Parte aliâ pergit, Vestæ generosa propago.
Læta, gravisque venit gestu, circundata limbo

Sidoniam picto clamydem, gemmisque gravatam.
Tum voce, & citharâ gratus, nitidâque juventâ
Horridus & pharetrâ, spoliisque leonis onustus
Phæbus adest, Phæbique comes lux aurea, cujus
Munere non tenebras Superi, non nubila norunt.
Pulchrior it cunctis, illum sectantur euntem
A' dextrâ, lævâque dies, & mensis, & annus,
Sæculaque, & positæ spatiis æqualibus horæ.
Carpit iter liquidum Nereus, quem duxerat olim
Doris pulchra virum. Sequitur tunc ipse Prometheus
Flammea dona ferens, & torridus igne capillos;
Qualis erat cum Solis equos, & nobile furtum
Aggressus, flagrante faces subduxit Olympo,
Et primum in terras mortalibus attulit ignem.
Regales venit ad sedes & Protheus, undis
Desinit ille pecus Neptuni pascere, vates
Qui scit quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur,
Noverat ille Jovis mentem. Procedit Jacchus
Crinali florens hederâ, Semeleia proles.
Ipse racemiferis velatam frondibus hastam
Dextrâ agitat, pugnis audax, belloque decorus.
Ibat flava Ceres spicis redimita capillos,
Prima quidem ferro mortales vertere terram
Instituit, frugesque dedit mortalibus ipsis.
It Mavors rigido crispans hastilia ferro,

Arma gravant humeros,laterique accōmodat ensem
Vulnificum, tremulas sublimi vertice crystas
Jactat apex, umbo late vomit aureus ignes.
Belliger ore vigor spirat nunc fulmina torvo
Bellica, sanguineum spirat præsentia bellum.
Proximus inde venit celebris Tyrinthius Heros,
Alcmenæ proles, indutus pelle leonis
Hirsutâ Nemei, duros hic mille labores
Rege sub Euristheo fatis Junonis iniquæ
Pertulit, & dextrâ, quondam quâ fila gerebat,
Deducit clavam. Sequitur Tritonia Virgo
Terribilis belli præses, procul ære refulget
Sanguineo galea, & flammis rutila arma coruscant.
Illuc flectit iter nemorum Dea Sacra Diana,
Virginis ora refert, lunatam cornua frontem,
Ex humeris arcum videas pendere, pharetram,
Qualis adest, quando ipsa feras per lustra fugaces
Invia persequitur, saltusque indagine cingit.
Splendida vestis erat Tyrio suffusa rubore,
Virgineique sinus gemmis decorantur eois.
Saturni conjux ibat Berecynthia mater,
Alma parens Idæa Deum veneranda senecta.
Tympana cui buxusque juvant, corybantiaque æra,
Idæumque jugum; Phrygias turrita per urbes
Invehitur curru, centum complexa nepotes

Cæli-

Cælicolas. Divum ſequitur tunc cætera turba.
Tectum auguſtum ingens Cæli in regione nitentis
Sidera, cæleſteſque domos ſuper emicat, omni
Parte auro radians, centumque immane columnis.
Imminet hic intus ſolido ex elephante Tonantis
Regia, quam pulchrâ illuſtrant teſtudine poſtes,
Aurataeque trabes, veterum decora alta Deorum,
Omnia regifico luxu, quæ ſubter utrinque
Area lata patet, variiſque inſtructa tapetis
Effulget, radioſque vomit laquearibus aureis.
Hæc omnes coeunt ad limina quotquot ubique
Terrarum imperium exercent, & jura ſubactis
Gentibus æqua ferunt: aderant ter dena Deorum
Millia, tercentumque Joves, quibus omnibus aræ,
Omnibus immenſum delubra erecta per Orbem,
Viſceribuſque boum, cæſâque bidente litatum.
Hic quos tardus Arar coluit, Rhenuſque bicornis,
Extremique hominum Morini, rigidique Boruſſi:
Hic quos Gangaridæ, quos Nilus, & altus Orontes,
Quos Nomadum genus, incinctique coloribus Afri,
Totaque thuriferis Panchaya miſit arenis:
Quam varii linguis, habitu tam diſpare Divi.
Ergo quotquot erant juſſu Jovis inde vocati
Conſedere Dei ſublimis ſedibus aulæ.
Juppiter ipſe ſedet media inter Numina Divum

 In ſolio

In solio gemmis, rigidoque adamante corusco,
Atque micante auro, flammasque imitante pyroppo,
Materiam superabat opus; quo sidera, & altum
Velivolum, quo facta hominum, terrasque jacentes
Despicit, & nutu subjectum concutit orbem.
Ostentat placidum risum frons aurea, celsum
Nexa corona caput cingit, pulcherrima sceptrum
Dextra tenet, rutili vincens adamantis honores.
Vidit ut attentos, arrectisque auribus omnes
Talibus ille modis solio sic cæpit ab alto.
Cælicoli Proceres, cæli venerande Senatus,
Si non Lysiacæ fugit vos gloria gentis,
Audaci quæ animo portavit Marte trophæa
Vidistis, semper cessit Victoria palmas
Insignes illi; repetam si ab origine primâ
Heroas Lysios, duri Mavortis alumnos,
Quos fera perpetuis aluit Bellona triumphis,
Et queis una fuit Virtutem extendere factis
Cura, simul patrium late protendere Regnum,
Ire minora illis video quæ Cossus, & ipse
Marcellus, quæ Scipiades, duo fulmina belli,
Quæ Sylla, & Marius, Cæsar, quæ fortis Achilles,
Quæque alii fecere Duces ingentia facta.
Quis nescit celebres partos de gente triumphos
Romulidum, quando Viriatum Marte sequuti
Imple-

Implerunt fuſo Romano ſanguine campos?
Non venit in mentem celebris Sertorius ille,
Quando odia aufugit patriæ Civilia Romæ?
Cernite quanta ferox commiſit prælia? Luſo
Dardanidas quoties ſtipatus milite fudit?
Teſtis erit Cottæ, Phidiæ miſeranda ruina,
Toranî, Domitîque acies in tartara miſſæ.
Quid memorem Mauros? Illos diſcedere tandem
Gens Luſa æternum referens ſuper æthera nomen
Compulit e patriâ, multorum cæde cruenta
Stravit humum, victrixque neci devovit acerbæ.
Quæ gens? Qui populus? Luſos Oriente ſubacto
Non pronâ cervice colunt? Hi limite claudunt
Imperium Occeani ſupra Garamantas, & Indos.
His equidem, tantiſque viris, quos æquus amavi
Ipſe, & ſemper opem cæleſtis turba ferebat.
Nunc illi extremam fatali ſorte ruinam
Marte ſub adverſo patiuntur: nulla ſalutis
Spes ſupereſt miſeris: vix nominis umbra ſuperſtes
Extat adhuc Dii; jacet arx nunc illa ſepulta
Quæ toties victrix, ſpoliiſque ſuperba minaces
Tot claſſes, scieſque tulit, tot ſola furores
Inclita ſuſtinuit, toto celeberrima mundo.
Aſpera preſſit hyems laceratas æquore puppes,
Caſtrius & pelago ſævis Aquilonibus errat.

Jampridem fessis rebus succurrere Lusis
Sancieram; tot damna pio reparare favore
Tempus adest, primâ nam sic ab origine rerum
Fata immota volunt, quænam sententia vobis?
Juppiter hæc paucis. Tunc ore silentia rumpit
Æmonius Liber, fatalia dicta Tonantis
Rejicit indignans, tristis sic ille loquutus.
Tu Pater Omnipotens, vasti sacer arbiter Orbis,
Tu Neptune Parens, pelagi Regnator aquarum,
Vosque Dii Magni, sedes qui habitatis Olympi,
Dicite, quæ vestras premit ó secordia mentes?
Quæ pietas animos? Cur vos toleratis acerbas
Lysiacas gentes? Terram, pontumque profundum
Jam vos vidistis late dominare superbas,
Et premere imperio, & populis dare jura subactis:
Si non quam primum talem vos perdere gentem
Quæritis invisam, & penitus delere potentem,
Ipse ego jam terræ dominos, cælique futuros,
Nostraque in humanas converti Numina vires
Et timeo, & doleo. Tunc at Venus aurea contra
Voce Jovem alloquitur, populis jam dedita Lusis:
Maxime Rex Superum, qui res hominumque Deumq́
Imperio regis, infidi sententia Bacchi
Non te dimoveat; tua non promissa remittas,
Nam levis est animi cæpto desistere facto.

Ergo

Ergo Cælicolum ſtudia in contraria vulgus
Scinditur, hæc Venerem, ſequitur pars altera Bacchũ.
Multa inter ſeſe vario ſermone ſerebant
Solliciti, vaſto ſtrepit ingens murmure Templum.
Ac veluti annoſam valido cum robore quercum
Alpini Boreæ nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter ſe certant, fit ſtridor, & alte
Conſternunt terram, concuſſo ſtipite, frondes;
Sic inter Bacchum exoritur Veneremque tumultus:
Illum ſævus agit timor, aſt amor excitat illam.
Mars tamen intrepidus Veneris defendere partes
Nititur audacter, ſeu quód devictus amore
Antiquo, ſeud quód Luſi fortiſſima proles
Digna favore Deum certa ad tutamina cogit:
Criſtatam attollit galeam pauliſper, ut omnes
Conſpiceret Divos; torvuſque horrore decoro
Ante alios ſurgens hæc protulit ore minaci.
Juppiter Omnipotens, juſti ſi nomine gaudes,
Non te detineat Bacchi ſententia, voces
Illius haud capias querulas, quem torquet Erynnis
Impia, mortiferumque premit ſub corde venenum:
Sed potius Veneris tua nunc promiſſa benignus
Exequere, atque ſimul, duriſſima vincula, ſolve
Obſidione Dium, Turcaſque infanda furentes
Ejice, ſit claro Lyſiæ gens læta triumpho.

Sic

Sic effatus erat, placido cum Juppiter ore
Consensit dictis generosi Martis, & omnes
Nectare perfudit, Divum quoque turba favore
Uno consensit. Rerum cui summa potestas
Juppiter intonuit lævum, mutabile numquam
Pondus adesse jubens, & facta sequentia dictis,
Et tunc ad sedes solitas se quisque recepit,
Sed prius ad solium reverentia summa Tonantis
Dirigitur, flexi venerabile Numen adorant.

FINIS LIBRI I.

CASTREIDOS
LIBER II.
Argumentum.

POstquam naves in portu recipiuntur, Castrius dum circum regionem explorat, Venus ipsi occurrit, atque eum ad Templum Palladis ducit; ubi Lusitaniæ Reges illi demonstrat.

INterea, Cælo postquam hæc firmata sereno,
Gens animosa cito quæ proxima litora cursu
Contendit petere, & quærit consistere terrâ.
Anchora de prora jacitur, stant litore puppes.
Tellure arreptâ gaudet tunc Lusa juventus.
Pars epulis onerant mensas, fusique per herbam
Languentes revocant vires, subit altera saltus.
Castrius interea nemoris petit abdita solus,
Nam terras penetrare juvat, juvat ire, locosque
Explorare novos, quas vento accesserit oras?
Qui teneant, inculta videns, hominesne? Feræne?

Dum

Dum graditur, medio sese tulit obvia luco
Olli pulchra Venus, Divumque hominumq́ voluptas
Virginis os habitumque gerens, vestemque nitentem
Quam fluere, & levibus dederat diffundere ventis,
Et cæston rutilantem, ac blando murice plenum
Cingitur; hoc pelagi insani mulcere procellas,
Et cohibere queat torrentia flumina ripis,
Possit & irato dirum excussisse Tonanti
Fulmen, & in mediâ Mavortem sistere pugnâ.
Quæ grato sermone loquens hæc edidit ore.
Gloria Lusiadum, decus immortale tuorum,
Quo te fata trahunt, retrahuntque immota? Periclis
Tu ne cede, malis sed contra audentior ito:
Quæ te magna manent monstrabo munere Divum:
Me sequere, atque simul mea per vestigia gressus
Dirige. Dicta dedit vix hæc Venus aurea vultu
Læta Virum ducit per celsa cacumina montis,
Perque loca humanis pedibus non pervia; tandem
Devenere simul lucos, & amæna vireta.
Omnis ubi vario vernanti flore nitebat,
Perpetuoque virebat humus: pubentibus herbis
Undique lætus ager ridens stat, gramine campus
Luxuriat viridi, frondentibus undique lucus
Clauditur arboribus: flavescunt aurea ramis
Pomaque pensilibus, teneris sub fructibus arbor

Pon-

Pondere curva gemit. Saliens hinc divite venâ
Obſtrepit unda ſono placido, quæ murmure rauco
Sollicitat feſſis ſomnum, quæ purior exit
Criſtallo, vitroque magis: fugit unda perennis
Mille per errores. Veſtitur gramina margo
Herboſo circum, quem nutrit proximus humor.
Mox vitreus lato rivus ſe tramite fundit
In vallem elapſus, ridentibus undique ripis
Labitur, atque nemus ſpeculari viſitur undâ
Gramineum: offenſas iterata aſpergine cautes
Increpat obnixus, fundoque alliſus in ipſo
Captivos querulo ſuſpirat murmure fluctus,
Et vinci indignans glomerato ſaxa liquore
Verberat undarum tumidus, tumiduſque minarum,
Tendere nec contra tantos objecta furores
Saxa valent, aucto ſupereminet agmine rivus,
Undanteſque trahit per naufraga ſaxa triumphos.
At rutuli paſſim viridi de ceſpite flores
Sponte ſua ſurgunt, & ripam utrinque coronant.
Hinc ferrugineum violæ caput, hinc hyacinthi,
Purpureæque roſæ, caſiæque, crocique rubentes.
Lilia nec deſunt, ſed quæ Junonia ſpernant
Ubera nativo fluvii contenta nitore.
Quin etiam ipſe ſuæ formæ veſanus amator
Leiriopes vitrea geſtit ſe cernere in undâ,

Irri-

Irritaque optati rursum petit oscula fontis.
Hinc juncus viret, inde brevi nasturcia collo
Lenta comas riguo gaudet inare fluento.
Ipsa nemus digitis visa est pinxisse voluptas;
Nec sic Alcinoi sata læta beaverat olim,
Et quæ rura canit Grajus Phæacia vates.
Illic Hesperidum frondent virgulta sororum,
Citrigenumque viret genus, hic & Adonidis arbor
Semper odoranti foliorum exuberat umbra.
Non adytus Boreæ, Corique sonantibus auris,
Fas Zephyro spirare uni, blandisque movetur
Flatibus aura levis, risum nemus omne remittit.
Lympha quieta salit, non flatu mobilis ullo,
Non crispata sinus. Gratas Philomella querelas
Arboris a ramo fundit, genus omne volucrum
Picta coloratis præbet spectacula pennis,
Dulcibus atque sonans concentibus aera mulcet.
Hoc Venatricem nemus incoluisse Dianam,
Sylvanosque ferunt, & agrestia Numina, Faunos.
Verticis in summo late Domus ampla superbis
Turribus in Cælum assurgit: certare putabis
Æmula Tecta jugis, nec cedere montibus Ædes.
Subter ab ingenti se machina porrigit ingens
Orbe columnarum, quarum circummeat ordo,
Unà & marmoreis ornata peristyla signis.

Limi-

Limina liminibus reſpondent, arcubus arcus,
Altaque diſpoſitæ reſerantes ora feneſtræ,
Unde ingreſſuræ pateat via lata diei.
Hæc laqueata prior complectitur Atria ſedes,
Queis ſuper accumbens, camerato fornice Moles,
Inſternitque baſim, ſurgitque in Principis Aulæ
Permagnum & mirâ compactum lege lacunar.
At neque mole minor labor eſt, pretium ve labore.
Exteriora domus commendat gloria formæ,
Interiora fluunt luxu. Laquearibus aurum
Viluit; & reddunt rarum nihil, omnia rara
Vaneſcit paries. Nuſquam conclavia Flander
Nobilius veſtivit acu. Formâ eminet aucta
Majeſtas; radiant auratæ limina valvæ,
Quas Dea perpetuó ſervat, quæ nuncia facti
Centum oculis, centumque oris toto orbe vagatur
Mobilitate vigens, vireſque acquirit eundo:
Parva metu primo; mox ſeſe attollit in auras,
Ingrediturque ſolo, & caput inter ſidera condit.
Nocte volat cæli medio, terræque per umbram
Stridet, nec tacito declinat lumina ſomno.
Luce ſedet cuſtos, aut ſummi in culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat urbes.
Illam, turba nocens, dextrâque, lævâque frequentes
Obſcuri in nebulis, variâque in veſte ſequuntur
Ru-

Rumores, circumque fluunt mendacia pennis:
Hæc faciem aſpectu fædam, viſuſque retortos,
Dentataſque acies, & linguæ fulmina multo
Crine tegunt, jactoque ſuper velaminis auro
Occultant natale malum, lateque nitentes
Expandunt alas, fictiſque coloribus errant.
Devicti hic currus, foribuſque affixa ſuperbis
Scuta virum pendent, pugnati inſignia belli;
Illic exuviæ hoſtiles, ſpolia inclita, & arma
Parietibus radiant pictis, illincque videres
Et veterum eventus, & priſca ex ordine avorum
Facta, haud humanis opus ennarrabile verbis.
Maxima ſed pictis eſt gratia rebus, & omne
Fulget imaginibus clarum, regaleque tectum.
Illic Titanum veteres ex ordine pugnas
Fecerat ignipotens, magnum, & memorabile bellum.
Omnes Terrigenæ, atque omnes immanibus auſis,
Vi magnaque æthereas olim reſcindere ſedes,
Devictumque Jovem ſuperis detrudere regnis
Aggreſſi, memorem matris Telluris ob iram.
Triſtior haud illis, dum res ſtetit intregra mundo,
Peſtis in hanc lucem ſtygiis ſeſe extulit undis:
His furiæ cedant, atque agmina ſæva ſororum
Lurida, quas pænis Hecate præfecit Avernis.
Ipſe Erebi cedat cuſtos, cedantque rapaces

Vin-

Virgineæ volucrum facies, & bellua Lernæ;
Quas & inane chaos tenebroſo Acharonte creavit,
Terribiles viſu formas, Ditiſque miniſtras.
Eminet ante omnes immani mole Typhoeus,
Monſtrũ horrendũ,ingens,centũ cui corpore ventres,
Et numero totidem Cælo capita ardua ſurgunt,
Omnia vi flammæ, linguiſque armata triſulcis,
Ne ſonet humano vox formidabilis ore,
Sibilat at graviter circum ſpirantibus hydris.
Atra fluit mento illuvies, hirſutaque barba,
Impexiſque cadunt nati de crinibus angues.
Terga rigent ſquamis, centenaque brachia jactat:
Alta velut quercus, vel coniferæ Cypariſſi
Ingentes Cælo ramos, & brachia pandunt.
Dextra coloratis longe manus imminet Indis,
Pallentes Oriens qua primum diſcutit umbras:
Læva ſed Occeani fines pertingit Iberos,
Feſſus ubi Titan rubro lavat æquore currum.
Pube tenus nulla humanæ veſtigia formæ,
Turpiter at ventres, & corporis horrida moles
Deſinit in longam caudam ſerpentis, & atram
Verrit humum, ſpiriſque ingentibus implicat orbes.
At Pater Omnipotens graviter commotus, & ira
Exſiliens, toto molitur fulmina Cælo,
Montanaſque ſtrues motat: fragor horridus altis

Montibus auditur, confusaque murmura longe
Crebescunt, medium credas discedere Cælum,
Non secus ac rimis tellus quassata dehiscit.
Intorquet telum, quo se subducere colles
Incipiunt, primoque jugum demittere lapsu.
Horrore Anguipedes trepidant, dextramque residunt
In partem, magis hoc devexo pondere montes
Procubuere, quibus tremuit tota excita tellus,
Et Cælum, tractusque maris, manesque profundi.
Senserunt dubios motus, cæcosque tumultus
Submovet Occeano quos terra extrema refuso.
Nec tantam congesta polo traxere ruinam
Culmina, Terrigenæ quantam, nam corpora vasto
Pondere pressa jacent, audent dum ponere montes.
Pars elapsa fugit, pars summa cacumina prensat,
Excidiumque timet; pronâ cervice supina
Altera pendet adhuc, similis jamjamque cadenti.
Ipse etiam vitam sub mole profudit Hybetes
Æmonios inter reliquos notissimus augur:
Sed male tum linguas, & præpitis omina pænæ
Noverat augurio oblitus prævertere læthum.
Resque Jovis gestæ, Saturnigenumque triumphi
Illustrant postes, veterum decora alta Deorum.
Ipse senex curvam servans sub imagine falcem
Primus erat Cedro antiquo cælatus, & auro.

Ema-

Emathii juxra ſaltus, quos inter amore
Captus, equo Phyliram premit, exceptuſque doloſæ
Conjugis inſidiis, hinnitu Pelion implet.
Hunc poſt, progeniem egregiam, factiſque celebres
Lemius excuſſit fratres Plutona, Jovemque,
Neptunumque maris dominũ, pelagoque potentem.
Omnibus ad vivum expreſſi vultuſque, colorque.
Ille tenebroſam cinctus caligine frontem,
Obſcuras ſine Sole domos, regna invia vivis,
Imperio premit, atque animarum crimina diſcit.
Æquore Neptunus fluit, udam ventilat aura
Canitiem, glaucuſque humeris dependet amictus.
At Pater Omnipotens mediis eflulget in aſtris,
Sceptra manu, flãmaſque tenens, ſcelerum q́ coercet
Fulminibus furias, rectumque tuetur, & æquum.
Hinc triplices Triviæ vultus, inque œnia ſævit
Ira Deæ, & dentes Calydonius exacuit Sus.
Illinc bis geniti ſunt incunabula Bacchi,
Virtuteſque Dei, atque armis ingentia facta:
Ipſe capiſtratis ſedet altus tygribus, omnes
Quem circum Auroræ populi, viresque Orientis
Devictæ aſſurgunt: prius indignatus Hydaſpes
Mollior it, Gangeſque Deo ſe ſubdit, & Indus.
Quin etiam Tyrrhena ratis, mirabile viſu,
Explicat antennas, & circum carbaſa vites

Humanâ non arte satas, hederasque comantes,
Attoniti nautæ rerum novitate, recurvis
Puppibus exsiliunt, hærentque labantibus omnes
Assimiles, fictique natant Delphines in Orbem.
Inde Dryantiades sævâ cum falce Lycurgus
Cernitur, & Cælo Alcithoen se credere aperto,
Nulla licet toto sit corpore penna, nec ales,
Nec fera sit, miro tamen it per inane volatu.
Hic Phæbus pascit per devia rura juvencos
Admeti, Cytharamque movet non segnis eburnâm.
Ad numerum saliunt Nymphæ, risuque soluto
Versibus incomptis ludunt, & carmina dicunt.
Ipse aures, multâ velatus arundine crines,
Arrigit Amphrysus, Faunos juveniliter inter
Lascivire Senex cupiens, Dryadumque choreas.
  Occupat alma Venus limen; tum Castrius Heros
Inde ducem haud timidis vadentem passibus æquat;
Ambo simul subeunt magni penetralia Templi.
Tum loquitur sic Diva Venus: Fortissime Ductor,
Hoc est Heroum Templum Venerabile, Fama
Quo vaga sollicito servat per sæcla labore
Magnorum monumenta virũ, hæ sunt Palladis arces.
Ordine turba virum, residet quæ maxima circum,
Sunt animæ illustres Superum quas mascula virtus
Extulit in Cælum, & meritis immiscuit astris.

Illi

Illi umbrata gerunt viridi qui tempora lauro,
Implicitaſque comas ramo frondentis olivæ,
Hi ſunt, quos decorant divinæ Palladis artes,
Quos beat ingenium, quos & plus æquus amavit
Phæbus, & Aonidum doctiſſima turba ſororum.
Parte aliâ Heroes, cernis quos fulgere in armis,
Gradivo aſſimiles Marti, galeaſque, jubaſque
Induti, & manibus rorantia tela cruore,
Bellatorum habitus, hi ſunt queis Martia virtus
Æternum peperit ventura in ſæcula nomen.
Ante alios longe Heroes, longeque refulgent
Lyſiaci Proceres, dignis quorum inclita factis
Gloria creſcit, honos ingens, nomenque manebunt
Æternum, & numquam ceſſabit Diva canorâ
Clara referre tubâ, quos ſi cognoſcere tentas,
Illorumque audire cupis mavortia facta,
Expediam dictis, narrabo & geſta tuorum.
Ille (vides?) viridi qui fronde coronat ovanti
Tempora, magnanimus Comes eſt Henricus, avorum
Inclita progenies, genus alto à ſanguine Regum,
Nam Domus antiquo peperit Burgundica trunco
Unde venit propriâ præſtantior arbore ramus.
Belligerum fecere atavi, generoſaque claros
Fuſa per Heroas regali ab ſtemmate virtus.
Quam primum, lapſis nondum juvenilibus annis,

Hic natale ſolum laudis ſuccenſus amore
Deſerit, Hiſpanas quærens diſcrimine ſedes.
Rex erat Alphonſus, qui ſceptra regebat Ibera,
Lunigerum longo qui fudit Marte cruorem,
Armataſque acies, fortes evertit & urbes,
Infandâ celebres referens de gente triumphos.
Ex Calpe Herculeo volat ad juga Caſpia Regis
Fama, ut ſanguineo geſta immortalia Marte
Magnanimus gereret, mortiſque pericla ſubiret.
Conveniunt multi Regem fervore juvandi,
Et proprias ſedes linquunt, patrioſque penates.
Sic petit Heſperiam Henricus, nam vivida bello
Dextra viro, atque audens animus, certuſq paciſci
Sanguine ſperatas dubia inter præmia lauros.
Disjectas acies, raptoſque in vincula Reges
Quid repetam? Multos magnâ vi bella per annos
Sanguinolenta gerit. Belli pro grandibus auſis
Olli Tareſſam Alphonſus Rex munere natam
Connubio jungit ſtabili, pro dote receptis
Luſorum terris. Celebres hic Marte triumphos
Aſſequitur victor, Mauros & abire nefandos
E Lyſiâ cogit, vanoque furore tumentes
Funditus evertit, patriaſque remittit ad auras.
At poſtquam forti devicit robore Mauros,
Et Luſo valuit multas adjungere terras

Impe-

Imperio, pietate ardens generoſus ad oras
Inde Paleſtinas ſtipatus milite pergit.
Hic natos Agaris quantâ vi fulminat hoſtes?
Cum Dux Godfredus pietate inſignis, & armis
Liberat alta jugo Solymorum mænia duro.
Viderat Henricus Solymæ jam mænia ferro
Debellata ſacro, vitream & Jordanis arenam,
Divinum nitidis Agnum qui laverat undis,
Jam Dux Godfredus Turcarum fregerat iras,
Arripuiſſe fugam timidos jam viderat hoſtes,
Chriſticolumque jugum totam ſubiiſſe quietum
Judæam, in patrios jam venerat ille penates,
Extremum cum fata diem minitantur iniqua
Henrico Comiti, funeſtaque fila malignæ
Diſrumpunt Parcæ, volat alta ad ſidera clarus
Spiritus Henrici, fruiturque quiete beatâ.
Cui vigor eſt ardens vultu, cui vertice criſtæ
Purpureæ volitant, totuſque horreſcit in armis,
Ille eſt Alphonſus patris mavortia proles
Henrici, qui Marte ferox victricibus armis
Extulit Imperium Lyſiæ ſuper æthera, dignum
Laude virum, ſimilem ventura haud proferet ætas.
Aſt puer Alphonſus ſolio ſpoliatus, & Aulâ,
Nam dubia incerto populi rumore viciſſim
Fama ſibi Regni ſurgentia ſceptra Tareſſam

 Aſſump-

Assumpsisse canit, nec despexisse secundi
Vincula blanda thori, & molles subiisse Hyminæos,
Plurima mente gerens furiis torquetur acerbis,
Deliberatque modum, quo mater victa cadentis
Restituat sceptrum Regni, natoque remittat.
Bella Vimaranî plusquam civilia fervent,
Hic Regina volens dotalia Regna tueri,
Juraque regnantis, præpes consurgit ad arma:
Filius hinc validas metuendus dirigit alas,
Et bello accinctus cædem meditatur & ignem,
Bellica signa sonant, pugnatur utrinque, phalanges,
Quæ partes, Regina, tuas mavorte tuentur,
Effugiunt, mediosque viam tentare per hostes
Cernis, victor ovat Princeps. Jam Marte Parentem
Vicerat; ecce acies, atque agmina multa Taressa
Congregat; ut probrum Rex vindicet inclitus altæ
Castellæ Alphonsus, victorem ad prælia Lusum
Dira vocat, cujus juvenilia pectora cura
Nulla premit, nullusque labor, sed fervidus ardor
Membra quatit, belloque potens populatur Iberûm
Agmina, sublimemque refert ex hoste triumphum.
Interea Princeps acies in bella parabat
Adversus Mauros, Cereris qui pinguia flavæ
Prata colunt, camposque, Tagus quos abluit undis,
Stagnantesque rigat sinuoso flumine ripas.

Jam-

Jamque Oriquenſi Mavortia caſtra locabat
Alphonſus campo, populi cum jura Coronæ
Alphonſo juveni, & Lyſii moderamina Regni
Tradunt, ingenti Regem clamore ſalutant.
Sic Rex Alphonſus validis jam viribus agmen
Aggreditur, Mauri voces ad ſidera tollunt.
Quilibet arma rapit, multi clamoribus arma
Arma vocant, fervet Mavors, clangorque tubarum
Æthera propulſat, nutans volat haſta, recurvus
Læthiferas arcus ſonitu mittitque ſagittas.
Incurſus varios, & mutua robora, duris
Pectora pectoribus minitantia vulnera, vires
Viribus, & ſævis emiſſa haſtilia dextris
Cernere erat, clypeos, galeas, ac ſpicula, & haſtas
Perfringunt, rumpunt, ſcindunt, violantque feroces
Luſiades, fugiunt hoſtes, campumque relinquunt,
Signaque demmittunt, oriturque miſerrima cædes:
Amittunt hilarem viridantia prata colorem,
Purpureoque intincta manent ſatiata cruore.
Luſus at inſequitur Mauros, ducitque triumphum,
In cumulos ſurgunt infanda cadavera, ſanguis
Murice mentito maculavit barbarus amnes.
Poſtea Rex victor Leiriæ ad mænia pergit,
Quam prius incautam victus Rex cæperat Iſmar,
Expugnator adeſt Rex, & ſibi comparat urbem.

Arron-

Arronchesque simul portis bipatentibus illi
Sese offert, Rex ipse intrat tua mænia Mauris
Invitis, Scalabis, cujus Tagus aurifer arva
Irrigat, atque suos fæcundat flumine campos.
Quin etiam & Mafram capit, & tu Sintria miris
Rupibus inde tuis insignis robora Regis
Experta es, cujus frænum, & juga blanda subisti
Tu quoque, quæ Mundi Princeps Olyssia, latis
Mænibus illustris, quam quondam clara Laerti
Dextra instauravit, quâ concidit Ilia Tellus.
Tu cujus sceptro paret Neptunus, & ingens
Occeanus, fessis statio tutissima nautis,
Terra potens armis, & non ingloria pace,
Quâ Mavors pariter, pariterque superbit Apollo,
Nam te nobilitant fæcundæ Palladis artes:
O Patria, o Lysiæ splendor, quo pectine laudes
Tollet ad astra tuas, tuus haud ingratus alumnus?
Obruit heu numeros numerus rerum ille tuarum,
Efficit & mutas tanta ad præconia Musas:
Inclita tu vires Lusorum, & Principis oram
Experta, atque simul jã Urbs Alemquerquia frænum
Accipit, & Veteres capiunt moderamina Turres.
Oppida transque Tagum Cereris decorata supremo
Munere victori muros, & sceptra libenter
Traditis, & Lusi metuenda agnoscitis arma,

Nam-

Namque Elvas, & Serpa, ſimul circumdata magno
Flumine Maura, ſalis locupleſque Salacia Regi
Sceptra ferunt, victæque illi genua ardua flectunt.
Ebora bellatrix, vaſtis circumdata muris,
Julia Pax capitur furioſo Marte, ſed hoſtis
Interea Maurus Trancoſi circuit arcem,
Obſidione premit, captatque, & diripit armis.
Protinus Alphonſus præſens volat impiger armis,
Mænia comburit flammis, ferroque minaci.
Quin etiam Palmella ſuo præcelſa ſuperbo
Monte ruit, ſequiturque illam piſcoſa Ciſimbra.
Alta Badajocii circumdat mænia, diris
Et tot damna parat Mauris, ut dura ſuperbo
Colla jugo trepidi ſubmitant ardua cuncti.
Interea Alphonſus Scalabim petit agmine facto,
Atque ibi Lunigerum fundit mucrone phalanges
Armatas, ſimul & fædatâ cæde cruentat.
Inde petit Maurum, Scalabis quà mænia ſurgunt,
Exultantem armis, & crudo Marte ſuperbum,
Auxilium fert ille ſuis, natoque, pericli
Impatiens; cinctoſque armis ruit acer in hoſtes,
Funditus evertit, portat de more trophæum.
Quis meritum, Rex Magne, tuum, quis fortia bello
Geſtaque narrabit, montes, cumulosque repletos
Stragibus, & crebro ſurgentes funere valles:

Ex-

Exerat ergo caput celebris nunc Roma, vetuſtos
Heroas repetat, faſtu quos turgida ſervat,
Non dabit illa parem, ſimilem non proferet illi.
Reſpice:qui proprior reſidet,ſtatuente Minervâ,
Editus Alphonſo Rex eſt clariſſimus ille
Sancius armipotens, caput inſuperabile bello;
Maurorum quanto maculavit ſanguine terras
Lyſiacas? Quantos & funere merſit acerbo?
Sancius at juvenis poſtquam ſuperaverat hoſtes,
Robore & illatas clades reparaverat, ultra
Progreditur vincens, & Bæthica prata cruore
Implet, ſanguineos deducit ad æquora fluctus
Bæthis, Maurorum maduerunt ſanguine campi.
Barbarus interea Pacencia mænia ductor
Circuit, at Luſi defendunt fortiter arcem;
Sed juvenis victor, ſociis volat impiger armis,
Obſidione urbem ſolvit, quot ſtragis acervos
Ingentes pia dextra dedit, quot tincta rubeſcunt
Sanguine prata: fugit Maurus, gens barbara cladem
Ingentem patitur. Scalabis dum mænia fortis
Defendit, furias quantâ vi Marte repellit
Maurorum, mittit quantos Acharontia Regna!
Agmine dein facto Sylvenſem circuit urbem,
Fæcundos cujus campos proſcindit aratro
Barbarus, invicti pugnant certamine diro

Lu-

Lusiadæ, scandunt muros, urbemque superbam
Diripiunt, Maurosque neci dant, barbarus arva
Culta fugit, Maurique domat sic Sancius iras.
Alphonsum Lysiæ Regem nunc cerne secundum
Nomine Belligerum, frons imperterrita, & ora
Testantur quæ corde latet vis Martia forti.
Vernanti vix pube genas umbraverat Hebe,
Protinus armatus districto fulgurat ense,
Et primum hostiles Hispanos territat armis,
Inde petit Mauros, turrita Salacia Cælo
Qua surgit, bello ruit implacabilis. illic
Tres Arabum pariter numeroso milite Reges
Sternit, devictam victor Rex intrat in urbem.
Qui sequitur, caput insigni diademate cingens,
Lætâ fronte parum, & dejecto lumina vultu,
Sancius alter erat, solio spoliatus avito
Immeritó, clamosa tulit quem Diva virorum
Magnorum in Templum factis, nam Maurica fudit
Agmina, constringens patrios remeare penates.
Quintus adest Lysiæ celebris Rex, dignus honore
Alfonsus tanto sumpsit regalia sceptra
Qui postquam frater superas excederat auras.
Digna legi virtus, ultro se purpura supplex
Obtulit, & solus meruit regnare rogatus.
Virtutem cupiens factis extendere, fines

Et

Et Regni acceptos, Turdenses pectore terras
Magnanimo assequitur, Maurosque expellit ab oris
Occeani, claros referens ex hoste triumphos.
Hic, qui sceptra tenet, Tyrio decoratus in ostro,
Alphonsi est soboles Heros Dionysius, armis
Hispanos domuit, Lysiæ populumque furentem
In commune nefas; infestisque obvia signis
Signa, paresque acies fudit semel, atque secundo.
Ardua regnantum componens jurgia, pacis
Fædera restituit: civilia jura, beatos
Quæ faciunt cives, tribuit jam pace potitus,
Imperium normis, & sanctis legibus auxit,
Aurea sic rursus reparavit sæcula terris.
Herculeam Musis decorat, donisque Minervæ
Urbem; Parnassum, fontemque Heliconis & undas
Linquere Castalias, laticesque haurire coegit
Monda, tuos, camposque hilares calcare Camænas.
Filius inde sedet, quem Martius ignis adornat;
Belli fulmen erat, nullos habitura triumphos
Agmina, fraternasque acies virtute subegit.
Hic simul Hesperium cum plebs Agarenica Regnum
Invadit, genero, patitur qui extrema, roganti
Auxilium præstat: veteris Rex ipse Granatæ,
Marrochi, Bugiæ, Rex & Carthaginis altæ
Ductores aderant, aciesque in bella regebant.

Vide-

Viderat illa ſuis nunquam Tarteſia campis
Millia tanta virum: junctis in fœdera dextris,
Hinc gener, inde ſocer, Superum virtute, phalanges
Lunigerum ſternunt, portantque ex hoſte trophæum.
Poſtea Gallæcum quoties, & Vandala tellus
Cladibus Alphonſum timuit, ſenſitque furentem?
Quis nunc ille Heros, cujus præſentia vultús
Territat? Et cujus circumdat gloria frontem?
Tum Venus alma: Petrus, Petrus Rex ille, ſeverus?
An juſtus? Supero cui tradit ab æthere lances
Aſtræa, Imperium juſtus regit, aurea terris
Sæcula reſtituens Rex eſt Fernandus at alter,
Qui ſagulo indutus Caſtellæ in prælia Regem
Provocat Henricum, tanta eſt vis martia cordi.
Aviſii Rector, ſequitur qui deinde, Joannes,
Ille Pater Patriæ, reverâ, & nomine Magnus.
Nam poſtquam Regi Fernando fila recidit
Atropos, Hiſpano gemuit ſub milite Regnum
Lyſiacum multo, Regnum defendere dextrâ
Solus adeſt Princeps, vocat in certamina gentis
Relliquias Luſæ, ſonitus dant claſſica raucos,
Bella per Aljuberos reſonant civilia campos,
Undique Mars ſævit, cæſus cadit undique miles,
Spicula terribili ſtrident per inania motu,
Diraque tela volant, nervo emiſſæque ſagittæ,
Ter-

Terraque sub pedibus trepidans fervescit equorum;
Et resonant valles, resonant & culmina montis,
Franguntúrque hastæ, sonitum dant arma cadentis
Militis; ipse pater nato, natusque parenti
Bella infert, frater fratrem petit impius ense,
Affinem affinis, crudeli vulnere costas
Et socer affligit genero, gener alter iniqua
Pectora pugnanti socero, læthalia reddunt
Vulnera, procumbitque solo defunctus uterque.
Non aliter quam cum civilia prælia Cæsar
Pompejum generum contra commisit, & altam
Emathii campi populi videre ruinam
Romulidum forti conversâ in viscera dextrâ.
Hìc generosus adest Princeps, campumque cruore
Irrigat Hispano: remeare inglorius aulam
Cogitur Hesperiæ Princeps, namque agmina tandem
Profligata videns, cæpti jam pænitet acti,
Deserit & campum fugiens. Rex castra Joannes
Divitiis spoliat, referensque ex hoste triumphum
Innovat Imperium, potius sed fundat, avitum.
Marte silente tamen postquam pax aurea vixit,
Et fera terribilis conclusit limina Jani,
Æstuat augustum bellorum turbine pectus,
Et pugnare parans, quærit quem vincere possit:
Sed cum Regna pio tranquillæ pondere pacis

Sint

Sint circumſtabilita, rates, queis æquora ſulcat,
Inſtruit, ac patriæ trans litora fervida pergit.
Mille Noti pandunt naves jam vela ſecundis
Flatibus, & ſalſum argentum, ac Neptunia regna
Ære ruunt, faciuntque viam, quâ maximus olim
Alcides poſuit metas, ubi Septa ſuperbos
Erigit ad cælum muros. Mavorte cruento
Atque capit Luſus turritam mænibus arcem,
Invitos Mauros populoſà ac ejicit urbe.
Nulla tuum hoc facinus, Rex maxime, neſciet ætas,
Dum radians circum Mundum luſtrarit Apollo.
Ille, Eduardus erat Lyſiæ Rex, nomine primus,
Aſſimilem cui Roma dabit non inclita, quanvis
Scipiadas memoret, Marios, Syllaſque, Camillos.
Alter, & Alphonſus, proles generoſa Duardi,
Viribus Herculeis Maurum cervice coegit
Vincla ſubire, Afros manibus poſt terga revinctis
Captivos duxit ſæpe, & victricibus armis
Alcaſerem fortem, populoſam Tingis & arcem,
Arſillam excelſam Mauris capit ilie triumphans.
Filius Alphonſi, ſequitur qui deinde, Joannes
Cui pietas, virtuſque dedit cognomina Magni;
Hic docet utilibus rectum proponere, nequid
Imprudenter agat, mores, arteſque regendi
Expediens, odiſſe malos, errantibus ultro

Parcere, nec speciem fraudi prætendere, certos
Sed vultus, animosque pares componere suadet.
Dat sibi, divinumque suis dat gentibus ævum.
Unicus Emmanuel cunctos supereminet, alto
Dignus honore quidem: supra Garamantas, & Indos
Protulit imperium Lysiæ; felicibus armis
Ille plagas olim victor penetravit eoas,
Et Nilum, & rubras Erythræi marmoris undas,
Et steriles Arabum montes, & litora Tygris,
Et quos Euphrates medios interfluit agros,
Queis sibi perpetuo peperit memorabile nomen,
Æternamque suis ventura in sæcula famam.
Pone legit Patris vestigia sorte Joannes
Tertius, inferior, sed par pietate Parenti:
Qui post facta simul tandem clarissimus ibit
Heroas inter, cujus par laudibus esse
Sed quia vix potero, reliquos jam cerne virorum.

FINIS LIBRI II.

CASTREIDOS LIBER III.

Argumentum.

PErgit Venus Castrio demonstrare præcipuos Heroas Lusitanos, qui sub uniuscujusque Regis tempore claruerunt. Deinde à Minerva, Templi Præside, de Victoria certiori facto, arma recipit Castrius, à Vulcano fabricata, Clypeum in primis, in quo ipse res olim venturas mira arte cælatas admiratur. Denique ad Classem revertitur, & e litore solvit.

DEtentus fuerat tantarum in imagine rerum
Castrius,atque videns alios Mavortis alumnos,
Æratasque manus; qui sint, nunc ille requirit.
Talia dicta refert cui sic Venus aurea contra.
Ille umbrata gerit lentâ qui tempora vite
Provectâ jam ætate senex, cui plurima mento
Canities intonsa jacet, fortissimus armis

Hic fuit antiquus Lusus, qui insignia vestris
Litoribus dedit, & felici nomina regno.
Filius hic (fertur) fidus sociusque Liæi,
Qui varias Mundi superavit robore partes,
Arma sequens, quibus ille suum super æthera nomen
Duxit, ad Hesperiæ celebres atque appulit oras,
His placuit tandem componere sedibus ossa.
Aspicis en alium. Sapiens Laertius Heros
Dicitur atque ferox, terræ, pelagique labores
Post varios tandem sociis simul excipit illum
Ripa beata Tagi, nova mænia condere curat
Urbis Ulyssææ, proprio de nomine donans
Nomen, ut æternà vivat per tempora famâ.
Hic, Viriatus erat, quondam qui armenta regebat
Pastor, at egregiâ vibrans hastilia dextrâ
Romanæ gentis saciavit sanguine campos.
Denique non bello, nec vi, sed fraude pudendâ
Vincitur, & moriens stygiis demergitur undis.
Qui sequitur, mandante Deâ, Sertorius armis
Inclitus est, Lysiam decorat qui ex gente triumphos
Romanâ referens multos, quos longa vetustas
Admirata canit, totum memoranda per ævum.
Qui deinde sedet, celebris Monisius Egas
Grande decus Lysiæ, Regi qui firmus Iberûm
Solvat ut ipse fidem, collum religavit acerbis

Con.

Conjugis & caræ, natorum ac funibus, ultro
Seque, ſuoſque ſimul plectendos tradidit inſons.
Proximus ille, Fuas Roupinho fortis, & acer,
Atque Arabum terror, Mos illum dira frementem
Extimuit; dum tela ferox, igneſque minatur.
Hic primus bellum pelago commiſit aperto,
Et primam arripuit palmam, fecitque cruentos
Neptuni fluctus dubio ſe volvere curſu
Per clypeos, galeaſque virum, cæſoſque per artus.
Mendius, hic, Gonſalus erat cognomine Maja
Gloria pugnarum, Mauris certamine victor
Haud ſemel ille die, & ſpoliis inſignis in unâ.
Qui trabeam indutus Tyriã, galeamq́ comantem
Proximus inde ſedet cingens vaga tempora lauro,
Alphonſus, Cætus Rhodienſis Maximus, ille,
Dux eſt, Alphonſi primi generoſa propago.
Degeneres nequeunt Aquilæ generare columbas,
Nam ſimiles natura ſolet producere natos
Patribus, alter erat ſimilis Mavorte Parenti.
Eccę Sacerdotem vibrantem haſtilia cerne
Depoſito baculo, celebris Suerius ille
Qui capit Arronchem, famam qui terminat aſtris.
Ille ſolum verrit longo qui Syrmate, dives
Infula ſacra caput cingit, Suerius alter
Elborei commiſſa gregis cui cura regendi.

Castrius at vero: qui sunt quos fulgere in armis
Concordes video, civili tempora quercu
Omnes ornati? Cui tum Venus aurea contra.
Hi quibus haud placuit Regem detrudere Regno
Debita cui fuerant regalia jura Coronæ.
Hic Martinus eques Freitas cognomine clarus,
Qui fidei documenta dedit generosa per ævum
Juratæ. Virtute pari Rodericius alter
Dux Paciecus erat spectatus pace, vel armis.
Ad latus illius, Pirius Correa, Jacobi
Militiæ Princeps equidem fortissimus Heros.
Illius ad nutum Phæbus stetit, agmina Maurûm
Dum prope radices Marianæ rupis anhelat
Vincere, magna viri cujus tota invidet ætas
Fortia facta, quidem totum celebranda per orbem.
Illi, sunt Nunius, Pirius, Quartela, Maceyra
Magnanimi Heroes, duri Mavortis alumni.
Illis qui proprior residet, Lupus ipse sacratæ
Militiæ Princeps, Souzæ cognomine notus.
Hic Lupus ille fuit, cujus Leo torvus Iberus
Ora timet, gelidâque fugit formidine raptus:
Hic fuit Avisii magno qui Regna Magistro
Asseruit, Patriæque jugum dissolvit, avito
Reddidit & solio, quem Regia jura vocabant.
Hic improviso cepit generosus Oronum

Milite

Milite quod multo defendit fortis Iberus.
Quod Decii fecere Duces, quod & inclitus arvis
Annibal Aufoniis, longe ipſe obſcurat, in hoſtes
Lunigeros ſævit dum fervidus, eminet altæ
Dum Septæ armatus, late dum tingit arenas
Et Lybiæ infames Maurorum ſanguine fuſo.
Aſpice nunc; varias galeato in vertice criſtas
Qui tenet, & lævâ clypeum, Pyrerius Heros
Ille, decus Lyſiæ, patriæque ſalutis origo, eſt.
Quantus erat bello fortis Pyrerius Heros
Dicite vos Tagides, Nymphæ & vos Anatis undas
Quæ colitis dulces, illum fera bella gerentem
Vidiſtis ſæpe, & quanto impia ſigna furore
Ceperit, & quanto macularit ſanguine fluctus
Dicite cæruleos, perque arva inimica ruentem.
Septa vetus dicet, quam ſit Nonus impiger armis,
Cum fera colla dedit primo devicta Joanni.
Quis captas urbes, demerſaque caſtra cruore
Enumeret? Mars ille ſui clariſſimus ævi.
Felicem Patriam talem quæ nutrit alummum,
Commumem potius patriæ, Regnique parentem.
Sed laudes celebrare tuas quis, None, valebit,
Quis poterit meritas umquam tibi reddere grates?
Omnibus æquivales, cunctos tu ſolus adæquas.
Sed quo verba fero? Mea quo præconia tendunt?

Unus eris, ſimilemque tibi ventura negabunt
Tempora, nam reliquos ſuperas virtute virorum.
Huc geminas,huc verte acies,hanc aſpice gentem.
En nunc biſſeni Luſi, quos Anglia vidit
Victores, aluit quondam quos Francica tellus
Hi ſuperant longe. Generoſum cerne Magriſum
Præcipue, immenſum cujus vaga fama per orbem
Fortia facta canit, quæ longa abolere vetuſtas
Haud poterit, paſſimque ſequens mirabitur ætas.
Dicitur hic Petrus Rodericius inclitus, arcis
Londralis Præfectus erat. Quem cernis ovantem,
Ægidius Fernandus erat, quem nobilis illa
Elvia progenerat. Pyreiram, conſpice, vultu
Impavido, Lyſias mirandâ qui arte triremes
Defendit, propriam fundens cum ſanguine vitam.
Illi, quos paribus fulgentes cernis in armis,
Sunt Luſi ſeptem atque decem, qui colle recepti
Quattuor Hiſpanos centum ferventibus armis
Oppugnant, panduntque viam, qua gloria Martis
Inſolitâ cingat victrici tempora lauro.
Heros alter erat Petrus, ſtirps clara Joannis
Regis, adhuc juvenis ſequitur qui prælia, Mundi
Cui ſeptem patuère plagæ. Floreſcit in auro
Qui pulchro, Henricus, rutili ſpeculator Olympi.
Non hunc devexas finitor circulus oras

Celat,

Celat; & adverſus ſibi non emergitur axis.
Scit quoque ut hyhernus picto volet Eurus ab ortu,
Spiret ab occaſu Zephiri clementior aura,
Ut medio de Sole ferox denſetur in imbres
Auſter, & Arctoo Boreas diſcurrat ab axe:
Quæ facies convexa poli eſt: quæ nubila cauſa
Gignat, & humani quæ conſcia ſidera facti.
Quâ vi juncta ſibi coeant Elementa per ævum,
Et cita perpetuo quo vivant æquora motu.
Non tantum patrios ſatis eſt noviſſe penates
Quos habitat, quâ vivit humum, quâ Lyſia claros
Progenerat fæcunda viros, ubi mergitur undis
Feſſa dies: terras, & diſſita flumina luſtrat,
Quà regnat ventoſus Iber, quà Gallia triplex
Surgit, & infuſo deducitur Anglia ponto.
Quos campos Germanus arat, quà flexibus errans
Explicat alta Padus taurinâ cornua fronte:
Quos Ligures, Venetique lares, quos acer Etruſcus
Incolit, & Latii quà Tybridis accola regnat.
Non etiam Henricum Geticos patientia raſtros
Arva latent, mæſti nec rapto vellere Colchi.
Nec Pontus, genteſque feræ per utramque vagantes
Armeniam. Nec non Phorcynidos arva Meduſæ
Cernit, & infames naturâ diſſide terras.
Noſcit quà totam Rhiphæo e vertice præceps

Euro-

Europam Scyticis Tanais difterminet oris:
Et quantum rapido diftent a Tigride Rhenus,
Nilus ab Eridano, dives Mæotide Ganges.
Et pelagi rimatur iter, nam mente pererrat
Quà bonus Æneas petiit fatale Latini
Littus, & in patriam tarde remeavit Ulyffes,
Et qua non tacti violavit jura profundi
Primus, qui potuit tabulas aninare loquaces.
Triverat & doctus momumenta volubilis ævi,
Argolici folitus faftus, Latiique Gradivi
Volvere, & horrifonis percurrere fæcula bellis
Afpera, Magnorum hinc capitũ facta inclita, & artes
Noverat egregias, & prælia fufa per orbem.
Vis inerat membris ardens, præftantior omni
Virtus, atque habili vivax in corpore robur.
Maurus anhelantem primus videt horridus enfe
Henricum, & citra pubem miratur adultam
Bellonam, & grandi maturam Marte juventam.
Quem nunc cernis, erat toto celeberrimus orbe
Fernandus Princeps, belli qui ductus amore
Tendit in infamem Lybiam, virtute feroci
Quà fefe extollunt fatalia mænia Tingis
Pugnat atrox, at forte tamen luctatus iniquà
Fernandus Mauris in fædera traditur obfes:
Pro patria hic pateris multus generofe labores
Macte

Macte animi virtute puer, qui ducere vitam
Felicem posses; pauper, captivus, inermis,
Et procul a patriâ vivis: tormenta Tyranni
Constanter passus superas conscendis ad auras.
Ast ego quid memoro lacrymis ploranda profusis?
Quid refero quæ dira solent augere dolorem?
Tu patriæ, tu dulce decus, tu gloria secli
Magna tui, factis poteras qui æquare vetusta
Gesta virum, ætatis vernanti tempore mortem
Oppetis, & lacrymis alienâ conderis urnâ.
En nunc Petrus adest Menesius ille, Viannæ
Illustris Comes, audaci qui robore Septam
Dux primus servat, paucis hic viribus audet
Barbariæ innumeras acies semel, atque secundo
Fundere, & Alcasaris defendere mænia fortis.
Ille coronato surgit qui vertice palmâ
Est Marialbanus Comes inclitus ille Joannes
Coutinho, Maurorum acies fugat illius horror
Nominis invicti, nam terret nomine solum.
Illius ad dextram, celebrato agnomine Vascus
Gama sedet, pelagi domitor, Tritona canora,
Nereidumque choros, & cætera Numina Ponti
Quem metuisse ferunt, superat qui fortia Vates
Quæ resonis cecinere modis, nam robore parvo
Littore ab Occiduo penetrans Orientis ad oras
Mu-

Munera Solis agens, Mundum lustravit in orbem.
Paulus at alter, erat Vasci comes: ille, Coelho,
Ambo pares meritis, superant qui gesta virorum,
Perpetuo quos Fama canit clamore per orbem.
Proximus his sequitur Magalanius, atque Capralis,
Queis foret inferior meritis vel Musa Maronis:
Ille est ignoti pelagi qui primus arator
Ignotas terrarum oras, spatia ampla marisque,
Invenit, atque feris tantum loca cognita diris.
Dux Paciecus adest celebris, Gangetica tellus
Quem velut emissum fulmen reveretur Olympo,
Magnanimum Heroem, modicâ qui classe fatigat
Æquora vasta plagæ, quam Calecutia ferro
Gens armata colit; dicent Cochinia Regna
Quam parvâ comitante manu, quo robore sternit
Agmina Maurorum, metuendaque machina dicat,
Quâ volat in tenues casu resoluta favillas.
Quis meritum, Paciece, tuum, quis gesta canendo
Prælia narrabit, tibi dum Victoria semper
Lætâ fronte venit, cumulasque trophæa trophæis?
Dum rapido cursu Mundum lustrabit Apollo,
Dum feret Occeanus pisces, dum Luna micabit,
Fama trahet volucris radiantia ad astra Pacecum.
Ecce alius, Cytherea canit, decoratus honore
Proregis primi, famâ super æthera notus;

Est

Eſt Almeida ferox, rapidi ſeptem Oſtia Nili
Quem metuúnt, cernenſque virum Martē orbis eous.
In terrras veniſſe putat: Quiloja ferro
Diruta, & ingenti flammâ combuſta ſuperba
Mombaſa, Almeidam bello ſenſere furentem.
Vindicet, ut Filî funus crudele, Dabulum
Ingreditur, turrita ruunt jam mænia, tandem
Et ferro, & flammis magnam jam cuncta ruinam
Aſpiciunt, ferus ipſe ſinum, portumque Dienſem
Intrat ovans, ſpargit denſamque per æquora claſſem,
Et ſpoliis victor, famâque Almeïda triumphat.
Digna Patris ſoboles Heros Laurentius ille,
Impia fata negant longam cui ducere vitam.
Heros alter, erat duri Mavortis alumnus,
Cunha ferox; Lamas, ac fortia mænia Bramæ
Atque Oiæ invictus profuſo ſanguine tingit,
Et Melindanum litus late irrigat undis
Sanguinis, extremas Aſiæ ſubmittit & oras.
Purpureā indutus clamydem Albuquerquius, alter
Indorum domitor, palleſcit cujus ad ora
Maurus atrox gelidus, pedibuſque ſub illius ipſa
Haud ſemel alta jacet ferro ſuperata minaci
Goa ſuperba, rudis ſedes antiqua Sabai.
Divitis audaci reſecat caput enſe Malacæ,
Illius atque armis Ormuſia mænia cedunt.

Quis

Quis tua cantando dicet bene gesta, tonantem
Heros, quæ fingent resonantia carmina dextram?
Magnanimum Æacidem, atque ærata Pallade clarũ
Dulichium doctâ, fortemque manu Hectora, Atridas,
Pellæumque Ducem, Augustũque, & fulmina belli
Scipiadas volucri mens pennâ currat, & omnes
Delibet magnorum animos, atque inclita facta,
Alphonsi egregiam ut fingat manus impigra dextrã,
Decerpatque Heroa tot ex Heroibus unum.
Tum Cytherea Venus lacrymis sociata profusis
Talia verba refert: en nunc tua posthuma proles
Fernandus, tandem quem Mars juvenilibus annis
Abstulit armorum studiis latiique Gradivi.
Vulnera (proh Divum pietatem!) fæda decoram
Turpabant faciem, sordebant pulvere crines
Aurati inmundo, nigrans per candida sanguis
Pectora, Mavortis fulmen manus illaque, bello
Cognita, nulla modo, & reliquum sub vulnere corpus.
Heu patriæ servatus amor! Generosaque bello
Dextera! Proh Juvenis! Certe non Romula quondam
Ullo se tantum tellus jactavit alumno.
Heu miserande puer! Semper præclarus in orbe
Tu Fernandus eris: manibus date lilia plenis,
Spargite purpureos flores, animamque potentem
His saltem accumulate, & inani munere, donis.

Res-

Restabant plures, quos ne cognoscere possent
Impediit nova turba virûm, quæ ad culmina Templi
Ardua diversis Mundi veniębat ab oris.
Tum Venus alma virum loquitur: Fortissime Ductor
Vidisti Heroas Lysios, quos Fama labore
Perpetuo celebrat totum clamosa per orbem:
Quæ maiora manent te, nunc recludere fas est.
Tum sic orsa virum ducit roseo aurea vultu
Palladis ad solium (bello metuenda virago.)
In solio elato residebat casta Minerva,
Cælatam argento galeam cava tempora circum
Induitur, pictis quam crista amplectitur alis.
Loricamque ingentem humeris circũdat, & hamos
Ære graves, interque manus, & brachia versat
Ægida terribilem visu, crinesque Medusæ
Explicat anguineos, eademque hastilia crispat,
Queis horrendum Anytum, sævumq́ Menætion olim
Titanasque alios magnâ virtute repressit.
Sub pedibus Divæ mixto cumulantur acervo
Arma, hastæ, vexilla, enses, bellique trophæa,
Noctuaque, & libri, chartæ, membrana, tabellæ.
Excipit Heroem vultu tum Diva benigno,
Et grato sermone loquens sic ora resolvit.
Dux invicte, decus Lysiæ immortale, beatas
Has sedes penetrare datur, mortalia vincla

Ni prius exuerint, nullis, tibi munere Divum
Concessum, quando factis tua gloria parta
Heroas inter miscet, redditque beatum.
Hic te magna manet numquam peritura per ævum
Gloria victorem: cæso Rumecane, Diensi
Excuties servile jugum, certamine fusis
Lunigeris, Arci, poteritque obsistere nullus.
I quo fata vocant, atque hæc cape munera digna.
Hæc ubi dicta dedit pulchro gratissima vultu
Olli Diva ferox, clypeumque ex·ære sinistra
Subligat ingentem, laterique accommodat ensem.
Terribilem cristis galeam, flammasque vomentem
Imposuit capiti, loricam auroque trilicem
Circumdat radiantem humeris, ocreasque recocto
Electro, atque auro donat, telumque coruscum.
Inter at arma Ducis longe admirabile textum
Effulget clypei, & radios vomit aureus umbo.
Illic res Lysias, pugnataque in ordine bella
Haud vatum ignarus, venturique inscius ævi
Mulciber excussit: notat omnia Castrius Heros,
Lumina depictâ nec vertit imagine, cernit
Hunc iterum, atque iterum, spatiosa per æquora cãpi
Pugnant armati cunei, aut pugnare videntur.
Egregius formâ puer, atque insignibus armis
Eminet, atque caput cingit diademate flavum.

At quæ-

Atquænã hæc generosa cohors? Tunc Castrius inquit,
Quis Puer hic Marti similis, qui provocat hostem?
Apparent iræ, & toto furor emicat ore?
Ille est, alma Venus contra, spes una Sebastus
Imperii, Patriæque salus: sed maxime Princeps
Quo properas? Et quo rapiunt te tristia fata?
Expediam in serum quæ mox ventura trahantur.
Virtutem cupiens claris extendere factis,
Æquora sulcabit juvenis sinuosa Sebastus,
Quem rapit invicti sublimis gloria Martis.
Instruitur classis, legitur generosa juventus,
Lusiacique Duces funesta in bella parantur.
Turgida jam nautæ rapidis dant lintea ventis,
Ostia jamque Tagi cita deserit aurea classis,
Bætica jam Gades, Erythæaque litora monstrat
Terra procul, Calpemque aperit, faucesq́ propinquas
Herculeas inter pelago fervente Columnas,
Africa ab Europà quæ se discriminat arcto
Indignata freto. Zephiro spirante secundo
Interea puppes Lybiæ vertuntur ad oras,
Obvertunt pelago proras, jam dente tenaci
Anchora fundabat Classem, mox agmina Lusum
Invadunt Maurorum acies ductore Sebasto.
Optatos fines, fataliaque arva licebit
Cernere, sed palmam Divum secreta negabunt.

E Nam-

Namque nigræ Maurorum acies, peditumq́ catervæ
Lysiacam includunt turmam, numerosque fatigant.
Inclusi juvenes rupere repagula sæpe,
Sæpe repercussi numero, & retroire coacti,
Victi, & victores æquo certamine Martis
Pugnavere diu, nutavitque alea belli.
Rex tamen Heroi similis, ferroque, manuque
Obvia prosternit cuncta: audacesque sodales
Per mediam Maurorum aciem, per tela, per enses
Lædentes, læsique ibant, mixtoque cruore
Hostili, & proprio, gemino de rore madebant.
Quid pauci faciant juvenes contra omnia fata?
Depluit in miseros læthalibus æthra sagittis,
Impactis Maurus transverberat ilia contis,
Et sæpe oblongo figit duo corpora telo:
Deficiunt tandem, & sævo mactantur ab hoste.
Oh quanti occumbent alieno in pulvere! Quantis
Sors erit horribilis vitam servare Sebasto
Infausti casús animam mærore trahenti.
Sed quænã hæc mediis inhumata cadavera campis?
Seminecesquē artus? Quænam hæc suspiria? Vocesq̃?
Et pictæ lacrymæ per ferrea texta fluentes?
Pene sonos textor, lamentaque tristia pinxit?
Castrius inquirit. Contra sic Diva loquuta est,
Hæ sunt infandæ cladis, bellique cruenti

Tris-

Triſtes reliquiæ: miſeri ſua fata queruntur,
Dum neque mors, nec vita licet, ſed barbarus hoſtis
Imminet ecce minax, & vulnera vulnerat enſe,
Mortuaque,& nondum morientia membra trucidat,
Captivoſque ducit manibus poſt terga revinctis.
Proh dolor! Occubuit Regni pars una mucrone,
Altera ſirvili gemuit pars compede victa!
Venturum ſperet populus gens ſtulta Sebaſtum,
Atque equidem vivum ſupremâ luce videbunt.
Regna ſenex capiet Princeps Henricus, at ille
Longævâ jam ætate gravis, moderamine tardus
Occidet, & ſceptrum dubiâ ſub lite relinquet.
Cautus at armorum pugnabit jure Philippus
Afflictum invadens vacuum ſine milite Regnum.
Atquænam hæc fugitiva cohors, exutaque caſtris,
Attonitis ſimilis, & mæſtis vultibus omnes
Arma trahunt, fractoſque enſes, inverſaque tela,
Et victi vincuntur adhuc? Quis triſtior ille
Suſpirans, altoque premens ſub corde dolorem?
Eſt Antonius ille, inquit, turma illa ſuperſtes
Fortunam Antoni ſequitur, miſerandaque fata.
Hic cupiet fruſtrà parvâ comitante catervâ,
Et famam ſervare Ducis, regaleque nomen,
Cum veniet Dux ille Albæ notiſſimus Heros
Hiſpani ducens victricia ſigna Philippi.

Debilibus poſtquam opponet ſe Antonius armis,
Aufugiet victus, fatiſque prementibus Anglûm
Quæret opem, claſſem, ſocialia quæret & arma.
Anglica perveniet tandem Mavortia claſſis,
Urbis & inſignis ſublimia mænia durâ
Obſidione premet: valido tormenta fragore
Effundent glandes, quæ ſunt necis impia diræ
Inſtrumenta, tamen, quando ſpes nulla triumphi
Infectâ re claſſis abit, cita carbaſa vento
Solvet. Ubi Henricus Gallorum Regna gubernat,
Auxilium quæret. Francis comitantibus armis
Concitat Hiſpanum, mixtiſque triremibus hæret.
Undique cæruleo ferveſcit in æquore Mavors,
Ignea tempeſtas ſævit, tonitruſque remittit
Per navale nemus, fumoſa volumina cælum
Eripiunt, claſſemque tegunt, nox incubat undis
Ferrea, mortiferæ volitantque per aera glandes
Sulphureæ, toto vivunt incendia ponto
Bellica, & offuſus calidis cruor altus in undis
Spumat, clade virûm Neptuniaque arva rubeſcunt,
Errant ac toto cumulata cadavera ponto.
Aſpice nunc agmen Lyſium miſerabile partim
Incenſum, partim depreſſum fluctibus ire
Stragibus & plenum, deſertas milite naves.
Ipſe caput medio per mille cadavera tollens
Neptu-

Neptunus, fluctuſque novos, tumidumque cruore
Miratus creviſſe vadum ſtupefactus adhæſit.
Tertius Auguſtâ regnabit ſede Philippus,
Qui ſolium Quarto legabit morte Philippo,
Ut videat mala parta ſuâ procumbere mole.
Nam Sator æternus multis agitata ruinis
Lyſica regna videns Luſorum e ſanguine natum
Deſtinat auguſto; decus immortale Coronæ
Lyſiacæ; columen, patriæque ſalutis origo.
Hiſpano fatalis erit lux prima Decembris,
Excutiet qua Luſa jugum gens, aſpera ſolvet
Vincula; lamentis ſuccedent grata: Joannem
Reſtituet ſolio detruſo jure Philippo.
Hic eſt Joannes Lyſiæ Rex Quartus, avita
Aſſeruit qui Regna ſibi uſurpata Philippis.
Hic eſt ille, Patrem patriæ quem jure vocabunt
Et quem Fama velox ſemper celebrabit in orbe.
Filius Alphonſus Regni ad moderamina ſegnis
Inde erit invictus ſolio ſpoliatus avito.
Aurea ſceptra reget Petrus, quo juſtior alter
Haud erit, inſtructus tantis virtutibus, ipſe
Ut ſuperet longe quos & tu Martia Roma
Et quos ipſa viros tantum tu Græcia laudas.
Quantus erit Quintus Joannes! Maxima virtus
Supra homines tollet, magniſque Heroibus addet

 Olli

Olli Relligio, Pietas, Prudentia rebus
Plurima tractandis, animuſque ad fortia factus,
Magnanimus, conſtans, nullâ formidine victus,
Mens æqui, rectique tenax, & conſcia honeſti,
Denique vera quidem dicam, ſpectantur in uno
Quæcunque Heroes olim fecere beatos
Et quæ olim fecere Deos; olli ardua forma
Majeſtas capitis, radiorum innata corona,
Et toto Rex ore patet: decepta videtur
Natura humanos homini dum fingeret artus,
Et pinxit ſub Rege Deum. Quid corporis hoſpes
Humanis oculis ſi mens divina pateret?
Quos animis, oculiſque ſui generaret amores?
Permitte, o Rex, ut voveam tibi Neſtoris annos,
Una tibi, & Regno tantum non ſufficit ætas,
Optamus tria ſæcla tibi; vive, & vale, vince,
Ut populos facias felici ſorte beatos:
Sic ego, ſic omnes Luſâ de gente vovemus.
 Exin bella viro memorat quæ deinde gerenda;
Venturoſque docet caſus, Lyſiumque triumphos.
Ille Deæ donis, & tanto lætus honore
Singula miratur, ſolioque recedit, & inde
E Templo eggreditur, rutilum conſcendit Olympũ
Alma Venus, tandem fidos ſocioſque reviſit
Caſtrius, extemplo claſſique immittit habenas.

FINIS LIBRI III.

CASTREIDOS LIBER IV.

Argumentum.

DUm Castrius in Dium navigat, Bachns ad inferos Plutoni auxilium rogaturus descendit. Alecto Rumecanem, patrem ejus Sosarem simulans, in somnis admonet, ud prius, quam Castrius ad Urbem appellat, illam capiat. Lusitani ad ultimum discrimen reducuntur.

CAstrius interea medium jam classe tenebat
Certus iter, fluctusque vagos salis ære ruebat.
Jam nullæ apparent terræ. Palinurus in altâ
Puppe sedet, clavumque regit, simul arte magistra
Inflectit, flectitque vias, & sidera servans
Dirigit æratas incerta per æquora naves.
Vela tument euris: fugiunt spumantibus undis
Turres velivolæ; tanto sub pondere cedit
Nereus, & liquido canescunt marmora sulco.

At Pater Odryſius furiis agitatus, iniquo
Evolvens animo quæ tunc ventura pararent
Fata viris, famuli Luſi qui a ſanguine creti
Tot metuenda gerunt, totum celebranda per orbem
Facta, gemit, demenſque furit, furioſus & ardet.
Talibus atque modis, frendens vomit ore venenum.
Heu ſortem inviſam! Et factis contraria noſtris
Numina! Caſtreides ferat hîc impune triumphos?
Hîc lauros impune metet? Tot templa, tot aras
Diruit, an noſtro geminet quoque funere palmas?
Scilicet Auroræ populos, mea regna, Tyrannus
Obruet? Et noſtrum terris avertet honorem!
Oh ubi ſum! Quiſnam prohibet, quin arma capeſſam!
Proque focis quin bella geram? Fera bella movebo.
Hoſtis adeſt: noſtris hoſtis cadat impius armis;
Et diſcat Divum, Bacchumque laceſſere bello.
Hæc dedit; atque acuens animo furit improbus iras.
Qualis arenoſo Lybiæ fremit æquore tigris
Aſpera, quam Caramas hirſuti pelle Cameli,
Ac Lycia armatus pharetrâ, mauriſque ſagittis
Horridus in pectus jaculatus ſpicula nervo
Confodit: calido exundans furit illa cruore,
Excutienſque cupit læthale evellere ferrum;
Mox hoſtem inſectata ſuum fremit ore cruento:
Haud ſecus immanis gliſci violentia Bacchi,
Solli-

Sollicitusque animum partes nunc versat in omnes,
Siquâ forte potest Lusos evertere tandem.
Tum vero offensus claro descendit Olympo,
Per cæcos adytus animarum regna silentum,
Cocytique petit sedes, loca nocte perenni
Obsita, tartareo Plutoni subdita tantum.
Vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus Orci
Aspicit hic subito Luctum, tristemque Senectam,
Pallentesque simul Morbos, Curasque sequaces,
Oreque hiante Famē nigram, gelidumqne Timorem,
Horribiles visu formas, Lethum, atque Laborem,
Et consanguineum Lethi Somnum, & mala mentis
Gaudia, mortiferumque adverso in limine Bellum,
Ultricesque Deas scelerum, quascumque sinistro
Nox genuit partu. Sedet hic Discordia demens
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.
Nec non in medio ramos effusa comantes
Ulmus erat sterilis, quam sedem somnia vulgó
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus hærent.
Multaque præterea variarum monstra ferarum
Hic stabulant, vivisque tenent impervia regna.
Centauri in foribus stabant Ixione nati
Pube tenus facies hominis, tunc cætera equina.
Et centum geminus Briaræus: bellua Lernæ
Horrendum stridens, flammisque armata Chymæra,
Pectus,

Pectus,& ora leæ cui ſunt, verum hiſpida in anguem
Deſinit ingenti ſinuata volumine cauda.
Gorgones, Harpyiæque obſcæno corpore reddunt
Horribilem aſpectũ; forma atque tricorporis umbræ,
Et quæ multa viris ſimulacra horrentia fingunt.
At Pater Odryſius, quà fert Acharontis ad undas
Carpit iter celerans per opaca crepuſcula, flumen
Lethæumque petit. Piceo Styx livida fundo
Æſtuat, & totam Cocyto evolvit arenam,
Dii cujus jurare timent, & fallere numen.
Sulphureas has ſervat aquas, & rauca fluenta
Terrificus ſquallore Charon, mercede peractâ,
Qui ferrugineà tranſportat corpora Cymbà.
Illic ingentem turbam ſine lege vagantem
Tartareas circum ſedes, & litora cernit;
Indotata rogis, inhumataque corpora: terris
Et niſi mandentur, vel ſedibus oſſa quierint,
Centum errant annos, volitantque hæc litora circum.
At Bacchus tendit magni ſub mænia Ditis,
Acceleratque viam ripæ ulterioris amore.
Cerberus hic ingens rabidus tria guttura pandens
Rauca tenebroſas valles, nigramque paludem
Perſonat adverſo recubans immanis in antro.
Hîc locus infauſtis quo conciliantur in unum
Cocytos, Phlegetonque vadis: inamænus uterque
Al-

Alveus; hic volvit lacrymas; hic igne redundat.
Turris per geminos flammis vicinior amnes
Porrigitur, ſolidoque rigens adamante ſiniſtrum
Proluit igne latus: dextrâ Cocitia findit
Æquora, triſte gemens, & flectu concita plangit.
Huc poſt emeritam mortalia ſæcula vitam
Deveniunt; ibi nulla manent diſcrimina fati,
Nullus honos; vanoque exutum nomine Regem
Proturbat plebejus egens. Quæſitor in alto
Conſpicuus ſolio pertentat crimina Minos,
Et juſtis dirimit ſontes; quos nolle fateri
Viderit, ad rigidi tranſmittit verbera fratris,
Nam juxtá Rhadamantus agit: cum geſta ſuperni
Curriculi, totoſque diu perſpexerit actus,
Exæquat damnum meritis, pænaſque repoſcit.
Hinc exaudiri gemitus, & ſæva ſonare
Verbera: tum ſtridor ferri, tractæque catenæ.
Veſtibulum in ſomnis ſervat, nocteſque, dieſque
Pallida Tiſiphone, veſtem ſuccincta cruentam
Horret, & intorti pendent pro crinibus angues
Nexantes nodis ſeſe per colla colubris.
Tum demum horriſono ſtridentes cardine ſacræ
Panduntur portæ: facies quæ limina ſervat!
Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra
Sævior intus habet ſedem. Penetralibus adſtat,

Vix

Vix patuere adytus, Bacchus; cernitque triſulco
Fulmine disjectos imo ſe volvere fundo
Illíc Titanes; dantem & Salmonea pœnas
Crudeles; Lapithas, Ixiona, Pirithoumque,
Quos ſuper atra ſilex jam jam lapſura, ruenti
Et ſimilis pendet. Splendent genialibus altis
Aurea fulcra toris: Furiarum at maxima juxta
Accubat, & manibus prohibet contingere menſas.
Theſeus Herculeos avidus perferre labores
Híc ſedet infelix: ſemper ſtat Syſiphus illíc
Saxu ingens volvés; Phlegyaſque miſerrimus omnes
Per triſtes Erebi valles hortatur opaci:
Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos.
Horribilis Pluto, magni dominator Averni
Tum piceo innixus ſolio, torvâque verendus
Majeſtate ſedens, viduatis lumine regnis
Jura dabat: nigris palmis immania tractat
Sceptra ſuis, humeroſque clamis tegit atra nigrantes.
Circumducta comas olli teterrima nubes
Aſperat: intonſi crines per colla, per armos
Deſcendunt: ſtygia fumant caligine nares.
Circum mille faces, & circum incendia mille:
Mille quoque & ſedem circunſtant undique mõſtra.
Ad quem ſic Bacchus: Mundi Regnator opaci,
Cujus ad aſpectum lethæi fluminis undæ

Subſi-

Subsistunt, retroque fluit styx livida cursu;
Nunc Stigii proceres, squallentia numina, regni,
Tartareosque jube simul huc accedere Manes,
Et causam accipies supero descendere cælo,
Quæ me compellit vestras exquirere sedes.
Extemplo horrisonũ dedit ingens buccina signum,
Quo subito intonuit cæcis domus alta cavernis
Undique opaca, ingens; antra intonuere profunda,
Atque procul gravido tremefacta est corpore tellus.
Haud mora; præcipites, rupto seu carcere venti,
Quà via prima ruunt, vel fractis nubibus ignes
Dissiliunt, pavido replentes astra tumultu
Lucifugi cætus, varia atque bicorpora monstra
Conveniunt, inferna ruit gens omnis, & ipsæ
Eumenides properant, nigroque Acharonte relicto
Accurrunt, oculisque minas, atque ore favillas,
Funereas mittunt, iræ primordia, flammas;
Quales Phlegræi vibrant incendia colles.
Hinc ultrix sequitur lethali accincta flagello
Tisiphone; stygiasque soror bachata per umbras
Dira Megæra; parens scelerum crudelis Erynnis;
Astu cruda potens Alecto: his additur unà
Et Timor, atq; Dolor, Metus &, Livorque, Famesque:
Denique, quot partu nox intempesta sinistro
Edidit, innumero coierunt agmine pestes.

Atria

Atria flammatis ſubeunt ſuffulta columnis,
Janua qua Ditis ſolido ex adamante pateſcit.
Poſt ubi replerunt ferrata ſedilia Manes,
Sævaque collectis ſtipata eſt Curia monſtris,
Tum Bacchus cætu in medio ſic farier orſus.
Tartarei proceres, veteres renovare querellas
Non opus eſt; noſtræ vires, & noſtra poteſtas
Decidit heu tandem! tandem jacet illa! quid ultra?
Luſiadis vincor: vincit me Caſtrius Heros.
Non artes, non ille dolos, nec noſtra paveſcit
Arma; nec æternæ formidat robora dextræ.
Quid venti? pelagique furor? quid Numinis ira
Profuit? Optatos portus nunc ille requirit
Securus pelagi, atque mei: quæcumque paravi
Et potui infelix in meme hæc omnia verti.
At quãvis Luſos cõtra mea Numina nõ ſunt (uſquã eſt
Magna ſatis, dubitem haud equidem implorare quod
Tu, Pluto venerande, potes mea nomina ſolus
Inſtaurare, vetus dedecuſque abolere: potentes
Luſiadas contra ſtygias quaſcumque cohortes
Ire jube, atque omnes armare in prælia vires,
Optatos poſſint illi ne attingere fines.
Numina noſtra odiis tunc exſaturata quieſcent,
Stabit & æternum nobis hæc gratia facti.
Ferreus extemplo turpes in prælia turmas

Ire

Ire jubet Pluto, Lusis & bella parare.
Continuo quicumque colunt nigra Tartara Manes
In turmas, aciesque ruunt, ruptoque barathro
Surgit ab infernis Plutonia turba latebris,
Arripiuntque viam: sed dura Alecto retardat.
Meme (adsum) Aonios potui quæ perdere fratres,
Diraque tela feri quondam jaculare Lycurgi,
Connubioque trucem matri sociare Jocastæ
Œdipodem, me, inquam, me solam in bella remitte,
Maxime Rex; Lusus solæ succumbet in armis,
Sic ait, & totis venientes submovet hydris.
Illi indignantes cesserunt; ipseque flectens
Pluto caput rigidum tetro diademate cinctum
Annuit, & totum nutu tremefecit Avernum.
Diva ubi cæruleo vestes intexuit angue,
Armavitque manus flagris, galeamque rubentem
Gorgoneo aptavit capiti, dextrâque prehendit
Ingentem piceo fumantem lumine pinum,
Erupit tandem stygiis furiosa lacunis,
Atque per horribiles umbrarum fervida campos
Carpsit iter liquidum, terrasque irata petivit.
Nox erat, & velox nocturnis Delia bigis
Vecta, colorato nodosis æthere habenis
Flectit equos, lucemque gerit radiosa serenam;
Cum nimium fessi curis membra ægra relaxant
Mor-

Mortales, toto proflantes pectore somnos;
Cumque peregrinæ vocem pressere columbæ;
Dulcia nec linguam Philomela in carmina solvit,
Cuncta sed optatos carpunt animalia somnos.
Tum vero ut melius valeat contexere fraudem,
Dum placidam mediâ Rumecanus nocte quietem
Carpebat, simulans frontem, gestumque Sofaris
Olli sese offert Virgo tunc; hei mihi qualis!
Hei mihi qualis erat! quantum diversus ab illo,
Inclita qui quondam devicto ex hoste trophæa
Erexit toties spoliis opulentus opimis!
Namque videbatur largos effundere fletus,
Tristiaque ex imo suspiria ducere corde.
Squallentem faciem, concretos sanguine crines
Vulnus & audaci retegens in fronte cruento
Quod bello accepit: Superos gemebundus, & astra
Accusans, tales incæpit promere voces.
Bellipotens juvenis, cur tu post tanta tuorum
Funera, quodque magis, dolor heu! post fata parentis
Heu miseri! ah demens meritas non surgis in iras?
Sanguinis effusi nulla est tibi cura paterni?
Nec subit in mentem cineres ulciscere nostras?
Quæ pietas nati? Surge o charissima proles,
Surge, age: torpentes e membris excute somnos,
Natus in Heroem, atque in facta illustria natus,
Non

Non tempus placidos per amica ſilentia ſomnos
Carpere: bella gerat, qui vult ſua caſtra tueri.
Hoſtis adeſt jam jam, trans cærula marmora vectus,
Qui fortunatis nimium ſucceſſibus audax
Excidium vobis parat. At felicia cæpta
Audaces tollunt animos, vireſque miniſtrant
Proſpera bellorum. Verum tu fortibus armis
Occurre, & patriâ ſupera virtute Tyrannum.
Eia age, & armari pubem, pugnamque cieri
Promptus ad arma jube: tantis aſſueta triumphis
Agmina Luſiadum tandem proſternere quære.
Neu te detineas, nam ſi nunc plura moraris,
Caſtrius adveniet tandem ſocialibus armis,
Necque erit, ut timeo, certe ſpes ulla triumphi.
Excute turpe jugum, duriſſima vincula ſolve,
Antiquumque Dium rurſus cape: pelle potentes
Luſiadas, duros patriis de finibus hoſtes,
Ut placidâ tandem ſic morte quieſcere poſſim.
Hæc ubi dicta dedit, nigræ ſe immiſcuit umbræ
Nato abrupta quies; ſurgit, patremque requirit
Tecta per ampla domûs, ſtimuliſque agitatus Erynnis,
Arma ferox, arma, arma horrendâ voce repoſcit,
Arma, arma ingenti reſonant tecta icta fragore.
Non terræ motus, non ſæva tonitrua tanto
Unquam concuſſere ſolumque, polumque tumultu.

Non bene dum noctem, tenebrasque Aurora nitenti
Expulerat cælo, nondum Sol alter, & idem
Reddideratque diem terris, rebusque colorem,
Cum Rumecanus furiis accensus, & irâ
Colligere arma jubet, totisque incumbere bello
Imperat agminibus. Procedunt longius iræ,
Incenduntque animis vires, nec deficit ingens
Spiritus, oblitæque agitant incendia mentes.
Arduus ante alios campo Rumecanus aperto
Eminet intrepidus, longamque innixus in hastam
Increpat attonitos, verbisque hortatur amicis:
Nunc vobis stat versa retro fortuna; quid ergo?
Turpiter imbelles rapient nunc omnia Lusi?
Promite nunc socii bello insuperabile robur.
Nunc animis opus est, nunc forti pectore, & armis:
Hosti non acies castris, non arma movendi
Jam locus est presso; totis, age, viribus arma
Sumite, signa Duces Mavortia tollite, nostris
Ite pares votis omnes, non Numina desunt,
Numina polliceor: jam jam mihi summus ab alto
Juppiter arridet, magnam spemque addit ituro.
Hunc mea ne dubita pubes sufferre laborem,
Hanc operam, quo noster honos, & fama resurgat,
Nunc mora cedat iners; olim meminisse sinistris
Jactatos fatis, & bella exhausta juvabit.

Matu-

Maturate citi, dabitur quem quæritis; eia;
Talia dicta dabat properans functuſque ſagacis
Principis officio pugnas inſignis obibat.
Nec mora, concurrit miles, cunctique parati
In mediâ caram pugnâ dimittere vitam
Occurrunt hoſti; ruit & glomerata juventus
Protinus, exundant ut ruptâ mole per arvum
Flumina, vel terras effracto carcere venti
Invadunt, dirumque gerunt per nubila bellum.
Incaluere animi parte ex utraque, phalanges
Non expectantes lituos, ſonituſque tubarum
Bella gerunt, Mauri clypei teſtudine facta
Sed ſcandunt adytus, atque ipſis mænibus inſtant.
Luſiadæ contra fortes nec ſegnius hoſtes
Avulſos muris lapides, & ſaxa ruebant:
Sternebant hæc ſaxa vias, hoſtique nocebant.
Ergo ignes, tædaſque rotant, piceataque tela;
At miles pluteo tectus nec tela, nec ignes,
Nec lapides, & ſaxa timet, muroſque cadentes.
Interea e muris telorum examina miles
Ad certos ſpatii fines jaculatur in auras:
Impulſu exhauſto languentia in aere tela
Subjectos recidunt nativo pondere in hoſtes,
Et circumfuſas lædunt cæco impete turmas.
Cum telis mors ipſa cadit, nec aheneus umbo,

Nec galeæ capiti impositæ, clypeique resistunt:
Percellit clypeos telum, & thoracas ahenos,
Ingressumque subit costas, atque ilia figit.
Qualis nimboso devolvitur aere grando,
Mæniaque, & turres altas, & tecta domorum
Verberat increpitans, clausasque in frustra fenestras
Dissecat, & solidis infligit vulnera muris;
Atque eadem campis infusa patentibus herbis
Proterit, & segetes, vitesque, ulmosque maritas,
Sylvarumque comas, ramosque, & brachia rumpit,
Heu miseri fugiunt per inania rura coloni,
Et nisi sub rupe, & saxis pendentibus abdant
Armenta, & pastor, pecudesque, & ovile periret.
Haud aliter reflexa ruunt ex aere tela,
Lunigerumque aciem læthali vulnere figunt.
Vulneribus densata acies, hærensque viro vir
En numerus nocet, & nullum sine vulnere telum est.
Quod gravius napthâ plenæ, & sulphure tædæ
Ex arce, & muris medias jaculantur in auras:
Impulsu impresso, motuqne accenditur ignis,
Rumpitur includens texta, & fragmenta per auras
Desiliunt, mox lapsa cadunt, uruntque cadendo,
Et totis late miscent incendia castris.
Turris erat propter fossas excelsior, ipso
Opportuna loco, totis hanc viribus ardent

Expu-

Expugnare hoſtes, totâque evertere opum vi.
Deſuper at Luſi contra defendere ſaxis
Inſtantes urgent, & ſparſo fulmine maſſæ,
Et plumbi nimbo, jactiſque haſtilibus: ipſæ
Jam galeæ reſonant, jamque enſis ſtridet acumen
Ictibus, atque aer ſonitu circum undique vaſto
Armorum reboat, fuſo jam ſanguine campus
Bellantumque gemit bicolor clangoribus omnis:
Vulnificuſque Calybs interficit hunc, globus illum
Plumbeus, ille excuſſus humi mox calcibus auras
Verberat, & corpus vita indignata relinquit.
Crudeſcunt omnes, cædunt, minitantur, & inſtant.
Interea muris Scalæ pendentibus hærent,
Jam gradibus nituntur, inobſeruatus in arcem
Quà patet introitus, primo fortuna labori
Quæ favet, illa nocet: paucorum ut cognita virtus,
Aſcenſuque adytus facilis jam viſus ad hoſtem eſt,
Idem omnes invitat honos, idem excitat ardor.
Certatim inſiliunt quá ſemita ducit in Urbem,
Arripiuntque gradus; hos mordicus ore tuentur,
Exercentque manus, & ſe ſtatione viciſſim
Proturbant, ſuperantque, repercutiuntque, ruũtque,
Obnixique humeris ſuper & cervice ſuorum
Pectus agunt, tolluntque caput, calcantque relictos.
Et jam turmatim faſtigia ſumma tenebant,

Cum laudis privatus amor communia turbat
Commoda, communis ſimul arripit impetus omnes,
Omnes mole ſuâ, & caſu volvuntur eodem.
Quo caſu aſſurgunt animi, pudor, iraque vires
Extimulant: Urbem ſubitâ obſidione coronant:
Nequa vacat bello facies; jam prælia circum
Mille ferunt diverſa locis: jam mænia tentant
Scandere, & ulciſci veterem virtute ruinam.
Tum ſic alloquitur Dux Maſcarenius Arcis
Inſignis ſocios; Juvenes, Mavortis alumni,
Indole ſi dignum patriâ, ſi ſanguine præſtans
Robur ineſt veſtris animis, ſi vivida virtus,
Spes, precor, audacter Duce me componite veſtras.
Omnia namque poteſt id inexpugnabile robur,
Illa potens virtus. Totum qui terruit Orbem
Magnus Alexander, ſuperavit culmina Rupis
Ornithiæ, magnâ fretus virtute ſuorum.
Julius hac etiam populos devicit, & Urbes
Cæſar; & hac fretus decus admirabile gentis
Pænorum, Auſonias cum frangeret Annibal arces.
Hac quoque vos ſimilem cur non præſtabitis orbi
Spemque, decuſque Duces? Per vos, & fortia facta
Maiorum, ah ſubeat patriæ vos æmula laudis
Gloria, perpetuos lucens victura per annos!
Dixit, & in medium ſeſe rapit arduus hoſtem,

Infe-

Infestasque acies ultrici verberat ense.
Victores simul in ferrum, mortemque ruentes
Lusiadæ accelerant, animosque in prælia tollunt.
Et procul ex altis responsant mænibus hosti,
Horribilemque ferus Mavors ciet undique pugnam.
Pars armata manum jaculis ferit eminus hostem,
Pars bifidis corpus gladiis, & acinace figit,
Pars utrâque manu contos, longasque sarissas
Impellens geminos uno transverberat hostes
Vulnere, pars armatæ impingit verbera clavæ.
Quis cladem, cædemque virum? quis funera fando
Explicet? horribili tormenta explosa fragore
Torti Brontis opus, sinuosa volumina, bombos
Emittunt, stragemque cient, miserabile visu;
Et feriunt aures, feriunt quoque lumina flammæ,
Fit crepitus, rupto credas ruere æthere cælum:
Ferventesque globi quatiunt seu vasta procella
Mænia, & alatæ portantes funera glandes
Ignivomæ sternunt muros, nam verbere rimas
Efficiunt, tandem avelluntur hiantia saxa,
Et murus per frustra ruit, lapidumque ruina
Vicinas terræ partes, partesque remotas
Succutit impellens, succussaque terra tremiscit.
Fundamenta locum mutant, nec corruit una
Pars Urbis, totum fatalis machina murum

 Ver-

Verberat, & totus laceratur verbere murus.
Cernere erat Turcas portarum effrangere claustra,
Et turres æquare solo, atque labentia Lusos
Mænia pervigiles magnâ virtute tueri.
Urget Maurus atrox pugnis; obsessa juventus
Pectora pro vallis, quá Mars acerrimus instat,
Objectat bello, læthumque, hostemque lacessit.
Nec, si forte arces, labefactaque mænia fundo
Versa cadant, non in mediâ perstare ruinâ
Gestiat, atque omnes pugnando absumere vires.
Quin & fœmineas animas, res aspera quando
Urget Amazoniâ fusos mutare securi,
Æmula sollicitat virtus, stimulatque volentes.
Stant operi accinctæ matres, natæque, nurusque
Certatim auxilio subeunt. Nil Martius Urbis
Confusæ strepitus, nil ipsa pericula terrent:
Urbis amor prohibet: pars pulvere fæta nigranti
Dolia convectant: pars arma, ignique fovendo
Materiam funes facilem, glandesque ministrant,
Arbuteas aliæ corbes, munimina valli,
Ingestâ stipant terrâ: defessa virorum
Corpora procurant aliæ, Cereremque canistris
Expediunt, & vina cadis. Amor omnibus unus,
Fortunæ, & belli quanvis durare laborem.
Interea si forte aliquem juvenumque, senumque

Aut

Aut patrem procul, aut cognati ſanguinis unum
Aſpiciant cecidiſſe, nihil muliebriter auſæ,
Corpora (ſunt animi, ſunt hæc in pondera vires)
Stragibus eripiunt pariter forteſque, piæque.
Dein cæſos condunt tumulis, aut vulnera lymphis
Cruda fovent, mollique manu medicantur, & herbis.
At non indigni gemitus, planctusque ſequuntur
Fœminei. Vitam credunt, aut vulnus honeſtum
Penſari decoris pretio bene. Vos, ego Matres,
Invictæque nurus, vos, ſi quid Muſa canendo
Noſtra poteſt, lætho immemori, & pallẽtibus umbris,
Eripiam vates. Dicam muliebribus armis
Defenſam, dicam thalamis, chariſque priorem
Pignoribus patriam. Vobis hirſuta leonum
Tergora pro pallâ ſignis, gemmiſque rigente
Injiciam: vobis galeas, criſtaſque comantes
Pro crinali auro, & vittâ lucente ſmaragdis.
Addam habilem lævæ clypeum, flãmaſque vomẽtem
Ægida pectoribus. Tum fulvæ cuſpidis haſta
Implebit dextras: irâque, & ſanguine torvis
Scintillæ abſiſtent oculis. In prælia poſcat
Penthesilea viros, lunatiſque agmina peltis
Inſtruat, exſertumque latus pugnæ aptet, & armis
Bellatrix. Optet Volſcâ de gente Camilla,
Fœmineis calathis, ſtudiiſque inſueta Minervæ,

Tyrrhe-

Tyrrhenos equites collatis Avia signis
Excipere. At vestros non impar fama triumphos
Vulgabit terris; & vos ego dicar ad ortum,
Dicar ad occasum priscas Heroidas inter
Sideribus quondam mediis, cæloque locabo,
Haud ulli veterum patriâ virtute secundas.
O mihi tam magnæ veniant ad carmina vires.
Suppositus pulvis fossæ inter viscera terræ,
Et claudi impatiens ignis per aperta viarum
Erumpens, turres, & propugnacula, & arces
Disjecit, vacuasque inverso pariete fossas
Implevit, latamque viam per mænia fecit.
Involvit mediosque hostes, ambustaque membra
Dividit, & vacuas spargit fragmenta per auras.
Vulcani sudantis opus tormenta, globique
Pulvereis fæti flammis per inane vibrati,
Pondereque innato subjecta in tecta ruentes
Excussere trabes domuum, calcemque, petrasque,
Murosque, & medio contentas pariete gazas,
Communique Urbem totam involvere ruinâ.
Et jam sub caveis, umbrisque, & hiantibus antris
Plebs habitat, civesque simul, puerique, senesque.
Intus tecta sonant gemitu, simul angulus omnis
Fœmineas audit voces tot clara dolentes
Limina, tot Superos, tot Sacra relinquere Templa.

Heu

Heu quot decrevit famosi gloria Dii!
Nobilis Urbs olim nil jam nisi tristis imago est,
Et veteris simulachrum Urbis, jam terra, cinisque est,
Et si quid minus est cinere. Heu tot clara virorum
Millia; Pars ferro periit, pars igne necata est.
Horresco referens! pars viribus ægra resistit
Quæ superest, sentitque suis jam funera membris,
Jam vacuæ cultore domus, & mænia nuda,
Et turres custode vacant, vix ostia miles
Defendit, murosque vetat conscendere: namque
Jam pridem obessâ Bacchus diffugerat Urbe,
Pro Baccho Neptunus erat; nunc horrea linquit
Blanda Ceres, herbasque fami supponit alendæ.
Herbæ ubi deficiunt, ad Martem, & prælia nati
Cæduntur pro bobus equi, hæc quoq; victima rara est.
Fidi etiam pereunt catuli; queis nausea perdix,
Et lepus, & pingues fuerant fastidia cervi,
Delicias in mure locant hinc corpora sensim
Deficere, & membris jejunæ arescere vires,
Pallidaque exangui squallere hinc corpora morbo.
Tetra lues grassatur atrox: prostrata jacebant
Interea nudoque intecta cadavera Cælo,
Vicinas circum afflabant fætoribus auras.
Nona resurgebant Orientis cornua Lunæ,
Lunigerum postquam fuit Urbs circumdata vallo.

FINIS LIBRI IV.

CASTREIDOS LIBER V.

Argumentum.

APpulſus tandem Caſtrius ad Dium, aciem diſponit, & cum hoſte congreditur. Diu, multumque æquali utrinque fortuna certatum eſt; donec Mauri in fugam declinare viſi ſunt. Hi vero, redintegrato agmine, ferocius pugnam committunt. Atamen ipſis demum fugatis, & ad internecionem cæſis, Caſtrius victor triumphat. Plaudit victoriæ Thetis, & Deorum cætus, Gangeſque Epinicion canit.

OCceanum interea ſurgens Aurora reliquit.
Orta dies: cælo tandemque abeuntibus aſtris,
Et Lunâ ſtadium fratri cedente diurnum,
Ac nocti ſervante locum, cúm prævia fama
Et comitans famam pubes appellere naves
Lyſiacas, Caſtrumque ſimul tunc nuntiat; omnis
Circum-

Circumfuſa ruit ſtudio commota videndi
Ætas, atque videns ſocia arma in mutua fertur
Gaudia: tum ſtrepitu plauſere metalla canoro:
Ingeminant feſtos, iterato murmure, plauſus
Ænea, dum magno replent tormenta fragore
Aera, & ardentes mittunt ad ſidera flammas.
Lætitiæ dant ſigna, & plauſus plauſibus addunt.
Continuo rapidis vexilla undantia ventis
Expoſuere oculis, Plagarum inſignia, Regni
Stemmata Lyſiaci, quæ turribus aucta patebant.
Arx geminat ſonitus, lætiſque timoribus undæ
Reſponſant, tutâ trepidant formidine cautes.
Ludrica tempeſtas feſtivo horrore per æquor
Fit, tormenta ſimul Claſſis diſplodit, & ignes
Innocuos, tonitruſque ciet per inane ſonantes.
Inde coronatis cedunt ad mænia proris
Remigio celeres, vertuntque ad mænia puppes;
Tuta ſinu Claſſis concluditur omnis amico;
Anchora merſa ligat naves, ferit æthera clamor
Nauticus, & curvæ pertexunt litora puppes.
Caſtreides, primique Duces, & Lyſia pubes
Navibus eggreſſi, portuque, & Claſſe relicta
Litora nota petunt, greſſuſque ad mænia tendunt.
Tum Ducis adventu ſubito procul ære ſonoro
Increpuere tubæ, ſonituſque dedere per Urbem:
Tym-

Tympana pulſa ſonant, & crebris pulſibus auras
Permulcent, modulis Ægyptia ſiſtra ſtupentes
Dulce fovent ſenſus, & vires mentibus addunt,
Pulſaque plectra ſonant, reboant concentibus auræ,
Cunctaque feſtivo reſponſant tecta tumultu.
Ingeminat plauſus aer, lateque per auras
Diſcurſat vox, & cæli convexa reſultant.
Ergo alacris pubes, Procerumque frequentia fundit
Se circum Ducis ora, ſemel vidiſſe nec ulli
Eſt ſatis, innectuntque moras, cauſaſque morandi,
Intentique omnes pendent & ab ore loquentis,
Oris & aſpectu, defixique ora tenentes
De Ducis adventu, ſociumque in mænia cuncti
Gratantur ſibi, deinde Duci gratantur & ipſi.
Sic ubi, dimotis cæcæ caliginis umbris,
Cynthyus illuxit curru ſpectandus in alto
Lætantur paſſim volucres, hilarique ſalutant
Voce jubar, liquido volventes carmen in ore,
Et ſibi gratantur nati de lumine Solis.

Nunc age, Calliope, redimitæ tempora lauro
Voſque Deæ, colitis quæ culmina docta virentis
Parnaſſi, Herois quis enim fera prælia dictis
Æquabit mortale ſonans? Age, Diva, relinque
Barbiton, & quæ bella manu, quæ moverit arma
Inflatâ molire tubâ: populumque potentem

Victri-

Victricem, humano ſatiatum & ſanguine campum
Nunc canere aggredior: fæcũdam in carmina venam
Da Vati, atque animis tu nunc adlabere noſtris.
Jamque Aurora novo ſpargebat lumine cælum
Poſtera Phæbæo, clari prænuncia Solis:
Jamque aderat ſpectata dies, quâ nulla redibit
Dum lucem effundet Titan formoſior ulla.
Jamque aciem Dux Caſtrius educebat ab Urbe:
Jam Lyſiaca acies campis exibat apertis.
Arma omnes, arma, arma, tubæ, lituique ſonabant;
Omnis læta ruit pubes, armatur in agmen
Diſpoſita ordinibus, longe radiantibus armis
Fulget, tela tenent manibus, cinguntque nitentes
Vulnificas lateri capulis fulgentibus enſes.
Et clypei ardentes alto ſub ſole ſiniſtris
Ære renidenti fulgent, ferroque trilici
Lorica inducti, nulli penetrabile ferro
Tegmen, in ære rigent, errant in vertice criſtæ.
Jamque Duces per caſtra volant, juvenũq; phalãgem
In turmas, alaſque locant, numerantque cohortes,
Diſponuntque aciem vaſti lato æquore campi.
Caſtrius ipſe etiam nunc ſedulus arte phalangem
Inſtruit, ac torvos oculos huc vertit, & illuc.
In medio denſat cuneos: floremque juventæ
Fronte locat primâ; veterano claudit & agmen
Mili-

Milite; ſi retro fraudem meditabitur hoſtis,
Occurrat venienti, atque ictus impete primo
Excipiat virtute pari: mox cornua tendit
Æquius, & turmis validis latus armat utrumque.
Ac velut umbroſis ripis, & flumine glauco
Hebri Treicii, aut ferventi Biſtonis unda
Mars fremit, armigeras diſponens ordine turmas
Hîc Dacos peltis locat, & lunata Getarum
Agmina, falcatos hic ſiſtit Biſtonas, illic
Agglomerat fortes, ſinuatque in cornua Thracos.
Explicat hîc alas, retrahitque, iterumque relaxat,
Inflectit, flectitque aciem, curritque, recurrit,
Et labyrinthæis erroribus æquora ſignat.
Haud ſecus invictus Ductor furit igneus, & jam
Bella, aciemque parat, juvenes ac talia fatur.
  Bellorum o ſocii, qui mille pericula Martis
Mecum, ait, experti, gens o fortiſſima Luſûm,
Jam vobis optata dies ſeſe obtulit ultro,
Ac votis quæſita diu: jam copia pugnæ
Oblata eſt vobis tandem: quid patria poſſit
Relligio; quid noſtra fides, atque inclita virtus
Nunc teſtemur, opus: vos terque, quaterque beati,
Queis datur, & patriam, & Numen defendere bello.
Dextrâ ergó audendum, juvenes. Ego veſter in omni
Sorte comes; hoſtis ſciat ipſe exterritus armis

Quid valeant Lusi. Mauri, Turcæque nefandi
Vincentur nondum victi; macti ergo sodales,
Vincemus solo aspectu, fugientia tela
Jam video, hæc illis superest spes una salutis.
Parte ex adversâ ferroque, animisque minaces
Lunigerum adventare acies, & ludere campo
Cernere erat. Nec non humeris durissima quisque
Induit arma, gravantque manus hastilia, fronti
Dant alii galeas, subiguntque in cote secures.
Scuta gerunt alii, strepitus Mavortius omnes
Excitat, hic pedes ire parat: sublimis at alter
Tendit equis, omnes conclamant arma furentes.
Armati frænantur equi, spumantque, furuntque,
Iratoque solum pulsant pede, frænaque mordent
Aurea, & absentem proculcant calcibus hostem.
Protinus at resonans sonitum tuba Martia raucum
Edidit, & torvo crepuerunt cornua cantu,
Atque dedit signum, vultus quæ sæpe colorem
Mutat, & accendit generoso in pectore Martem:
Audiit ipse Tagus, dubius stetit amnis, & undis
Ipse metu rapidus Nilus caput abdidit, omne
Contremuit nemus, & sylvæ intonuere profundæ,
Ac trepidæ Matres, quarum pervenit ad aures
Horribilis sonitus, pressere ad pectora natos.
Heu quantam cædem quantam stragemque ciebunt!

Tum verò ad ſignum celeres Mavortis alumni
Confertæque inter ſe acies certamine magno
Denſantur campis, mutuo ſeſe agmina cædunt.
Circumdant equites agmen, ſimul impete facto
Irrumpunt medium in cuneum, turbantque, fugantq́,
Impellunt, pulſique cadunt, calcantque cadentes
Et gladiis pellunt gladios, atque enſibus enſes.
Iratus ſonipes ſpumat, furit, & pede, & ungue
Proterit, & patulo ſpirantes devorat ore;
Lædit eques, laceratque artus, & membra trucidat.
At pedites haſtis, gladiis, bifidâque bipenni
Obtruncant, cædunt, mactant, nec parcitur ulli,
Evadunt pauci, collectique agmen in unum
Expectant hoſtem, & contis, longiſque ſariſſis
Excipiunt, & non omnes moriuntur inulti.
Protinus innumeris offunditur æthra ſagittis,
Et telis pluit infuſis læthalibus æther.
Qualis ab æſtivo, brumalique aere grando
In montes, ſylvaſque cadit, fit in æthere murmur,
Sylva tremit, rami in partes, & fruſta ſecantur,
Agricola, & taurus fugit, & niſi lanea veſtis
Protegeret, morerentur oves, paſtorque periret.
Haud aliter denſis aer pluit undique telis,
Nec miles quo currat habet, galea, enſis, & umbo
Et clypeus tectum eſt, hac ſe vix protegit umbrâ.

Parte ab utraque ſonant arma, atque miſerrima cædes
Exoritur, Maurorum acies, Lyſiæque phalanges
Contendunt dubiis, mixtis clamoribus, armis.
Hos amor accendit patrias defendere ſedes,
Spes alios ſuperare hoſtes, ac ferre triumphum.
Arma, cruor, cædes, & fulmina Martis anheli
Ante oculos volitant, pede pes, & cuſpide cuſpis
Hæret, & invictis Luſus præſtantior armis
Suſtinet audaces hoſtes certamine diro.
Ac leo ſanguineus Pænorum qualis in arvis
Cum ſubito cernit venantum ſe agmine cingi
Undique, & intentis urgeri cominus haſtis,
Nec ſupereſſe locum, quo tuto evadere poſſit,
Ardeſcit ſimul arma movens fremit ore cruento,
Intrepiduſque viam quærit per tela, per ictus:
Haud aliter Luſus circumdatus undique Mauris
Pugnat atrox animo, multoque ardentius iras
Concipit, opponens telis tela, enſibus enſes:
Irruit armatos, urgetque interritus hoſtes
Attonitos, totiſque ciens incendia campis
Martia, profligatque acies, funditque maniplos.
Sternuntur pedites, & corpora quadrupedantum,
Multaque miſſa neci volvuntur corpora paſſim
Pulvere, permixtâque cruor calcatur arenâ.
Primus at ante alios, medio ſeſe impulit hoſti

Obvius

Obvius armato tunc Heros Castrius, armis
Insignis, qualis primo Sol surgit ab ortu,
Et se visendum toti communicat Orbi,
Et jacit ore diem: cingit latus aureus ensis,
Hastam dextra gerit, totusque horrescit in armis
Corpus, & undantes galeato in vertice cristas
Jactat apex; validos urget calcaribus armos
Quadrupedis, qui fræna ferox spumantia mandit
Belliger insultatque, impletque hinnitibus auras.
Et quatit irato terram pede, ac evocat hostem.
Oh quem te memorem Ductor fortissime! at illum
Nunc rapidum videas contra fera cornua Lunæ
Ire per attonitos jaculantes fulmina Turcas
Bellica, crede ducem Martem; sic impetus illum
Tullerat, ire quidem signum fatale cometæ
Haud plumas, unguesque Aquilæ rapuisse putares.
Tartara mæsta vident quanti cum densa cohortum
Agmina bellantum, rigido constructa metallo
Admoto perrumpit equo per tela, per enses
Exitium, stragemque ferens, jam funera campis
Horrescunt, simul & cumulatæ stragis acervi,
Et superundantes profuso sanguine rivi.
Nec modus, aut requies; uno quis crederet ense
Funera tanta dari? non funera tanta dedisset
Quanvis centenos clypeos, centenaque tela

Bis centum gereret manibus Jovis ampla Typhæus
Gloria victoris; nec ſi ſuperaſſet Olympum,
Ille foret tanti ſpecies ſatis æqua furoris.
Nec minus interea Dux Maſcarenius Arcis
Armorum præſtans, belloque inſignis, aviti
Nominis, & pulchræ generoſior indolis hæres:
Luſiadum ſplendor, decus indelebile, namque
Æquavit virtute Duces, quos Martia Roma
Edidit, & celebres quos gloria clarat alumnos,
Cujus ad ora rigent Maurorum corda timore:
Fortis in arma furens nunc viribus agmina Maurum
Qua conferta videt, petit, & metit enſe, recidit
Pectora, tot mortes, quot vulnera dividit, inſtar
Centimani Briaræi centum cui brachia, campo
Corpora multa jacent, late rigat arma cruore.
Tum Rumecanus ſociorum indigna ſuorum
Funera conſpiciens, hæc inquit, & increpat ore:
Quo ruitis timidi? heu quid volvitis? anne repente
Prætesum belli incæpti? Subſiſtite; quænam
Veſtræ meta fugæ? Quo tenditis? En ego veſter
Rumecanus, ſum veſter ego, mecum arma movete:
Siſtite mecum hoſtem, & tantum extorquete triũphũ:
Vos decus egregium moveat, roburque juventæ,
Vos decus imperii, & claris gens inclita factis
Erigat, effuſuſque cruor compellat ad arma.

Incaſ-

Incaſſum ne animæ tot fratrum morte jacebunt?
Auſæ omnes patrium per vulnera quærere cælum?
Gratia non facti, non vos hæc cura remordet?
Vos tandem Lyſius jamjam fratrum, atque parentũ
Sentiat ultores, atque experiatur in armis.
Vel ſi tantus habet mentes, & pectora terror,
Me quocumque prius miſerum conſumite lætho.
Si pereo, Lyſiis me non periiſſe juvabit.
Mentibus his dictis violenti Martis amorem
Inſinuat, rapit arma furor, male ſævit Erynnis.
Mox ergo impavidi renovant fera prælia Mauri.
Hic vero ingentem pugnam, ſeu cætera nuſquam
Bella forent, miſcent; Mauros nam provocat auſis
Hinc pudor, inde dolor præcordia concitat, auget
Deſperata ſalus animos: diſcernere ferro
Fit virtutis opus: per tela, per arma, per ictus
Hoſtibus occurrunt illi, furor, iraque mentem
Præcipitant, pulchrumque mori ſuccurrit in armis.
Quilibet arma rapit, nervo ſtridente ſagitta
Miſſa volat longe, atque leves diverberat auras:
Obruitur cælum telorum turbine, multi
Singultantem animam mixto cum ſanguine fundunt.
Nunc hinc, atque illinc renovantur prælia, fervet
Pugna magis, pugnæ incumbit magis unde periclum.
Alternat Bellona vices: gemit excita pulſu

Quadrupedante pedum tellus, ſtat ferrea belli
Sylva, ſegeſque ferax mortis, pars nulla pericli
Parte vacat, nutant acies: conſurgit utrinque
Sternentum clamor pariter, pariterque cadentum.
Haud ſecus adverſi quam cum de cardine Mundi
Bella cient animoſi Euri, vertuntque profundum
Jonio in magno, tumido vel in æquore Atlanteo
Alternos volvunt procurva ad litora fluctus:
It cælo fragor, atque ingenti murmure pontus
Ingemit undiſonans, aer totuſque remugit.
Caſtrius intrepidus Sociis cum talia fatur:
O ſocii, non verba quidem, ſed tela, ſed enſes,
Funeraque, & mortes præſens fortuna requirit.
Quidnam agimus Luſi? Quo gentis gloria noſtræ?
Quo patrius decrevit honos, & avita poteſtas?
Immemorem o gentem! Submittere colla Tyranno,
Barbaricove jugo vultis? Quid clara parentum
Gloria, turpe nefas, nunc obſcuranda? Perenne
Dedecus, heu! magnum fuerit, plenumque pudoris
Lunigerum virtute premi, ſubigique furore.
Ponite corde metum, quoniam pugnare neceſſe eſt.
Hoc Lyſiæ poſcit nunc & deriſa poteſtas,
Et decus Imperii, ſpretique injuria ſceptri
Non niſi profuſo Maurum delenda cruore.
Talia voce tonans, verbis Cælum omne replebat,

Ingeminant ſylvæ, & duplicata reſultat imago.
Talibus inflammati animos, & Numine Divûm
Inque hoſtes,inque arma ruunt,natat undique cædes,
Deſſuetumque bibit tellus madefacta cruorem.
Heu quanti exanimes nunc triſtia regna reviſunt!
Barbaricas acies Luſi, ſeu fulmina belli
Fundere, & inſtructas totis diſperdere campis
Incipiunt: rapidus montano ut flumine torrens
Sternit agros virides, cumulo campoſque per omnes
Cum ſtabulis armenta trahit: ſic ille phalanges
Lunigerum ſternit, triſtis ferit æthera clamor.
Fit via vi, rumpunt acies mucrone, catervas
Barbaricaſque ſecant ferro; totumque per æquor
Semianimes volvuntur equi; atque ignobile vulgus
Sternitur omne ſolo, dilectaque pectora Marti.
Turbatur ſeries armorum, invertitur ordo,
Impellunt alios alii, ſurguntque, caduntque:
Læduntur denſati hoſtes, nec lædere poſſunt.
Succedunt pedites, punctimque ac vulnera cæſim
Infligunt, hærent ſuffixis enſibus enſes.
Nec jam ſufficiunt gladii, dextraſque fatigat
Cædendi labor, & miles, gladiuſque laborat.
Ergo infracti animos omnes terrore ſubacti
Terga fugæ præbere, datis referuntur habenis.
Plebs Agarena fugit, campum Turcæque relinquunt

Jam

Jam penitus, nec mora ulla est, pars tecta ferarum
Effugiens, nigrosque petit telluris hiatus.
Pars iter in sylvas, alii alta cacumina quærunt,
Accelerat, fessosque urget calcaribus armos
Quadrupedis, fugit in scabros pars altera montes.
Projiciuntur opes, sua cuique onerosa, gravisque
Sarcina, non currus secum, non arma juventus
Fessa trahit. Galeæ passim, cristæque per agros,
Scutaque, loricæque, & lato hastilia ferro
Strata jacent. Heu quantus equis, peditumq́ catervis
Sudor adest, terrent vultus instantis & illas!
Qualis ab excissis pendens radicibus ilex
Inclinat sensim caput, & nutantia brachiâ,
Et læsum tandem truncum vincente ruina,
Labitur, & casu late tremit obvia sylva.
Fit fuga, cæduntur, nec quisquam exterritus hostem
Sustinet adversum, & ferrum, læthumque ferentem.
Victoria, io, clamant omnes; victoria victa.
Castrius interea victor fugitiva per agros
Agmina Lunigerum sequitur, gentemque nefandam.
Cominus imbelles quatit hostes, vulnera tergo
Accipiunt inhonesta viri, stant plurima toto
Corpora corporibus campo cumulata peremptis,
Effusoque rubet Maurorum terra cruore.
Dumque fugam meditatur Arabs, prostrata cadētum
Chri-

Corpora, quam ſperat, prohibet ſperare ſalutem,
Antra petunt, at pæna malos comitatur ubique,
Quâ fugiunt, pereunt, pereunt, quâ vivere tentant.
Hic ſimul occumbit jaculati vulnere ſaxi
Lunigerum celebris Ductor Rumecanius, illi
Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub umbras.
Caſtrius hic tandem paribus non viribus Arci
Barbara diſſolvit Maurorum vincula, Mauros
Ejicit, & penitus populatur cæde, triumphum
Inſignemque refert, Luſi ſpolia ampla reportant,
Cum videant nullos, opulentaque caſtra ſuperbis
Divitiis; clypeos, gladios, ac fortia tela
Et vexilla ſimul portant, tormentaque belli,
Tegmina quadrupedum conflictu fracta recenti.
Collectas Heros prædas ex hoſte relatas
Committit Ducibus, ſociis ex ordine dandas
Pro meritis, primas aliis, aliiſque ſecundas,
Et primus pene omnis erat, nemoque ſecundus.
Fit totis clamor caſtris, lituique, tubæque,
Cornuaque, & cantus, partæ felicia palmæ
Argumenta ſonant: fremitu, plauſuque reſultant
Umbroſi colles, feſtum geminantque fragorem.
Interea auditæ voces penetralibus altis
Occeani, & liquidis reſponſat vallibus Echo.
Mille ubi conſurgunt muſcoſa palatia in undis

Chri-

Christallo ex alba; variis discreta figuris;
Candida purpureis fulgent intexta corallis
Marmora; cæruleos onerant conchylia postes,
Atria barbaricis radiant suffulta columnis;
Valva nitet gemmis, rutilisque ex igne smaragdis,
Forte sacros celebrare choros tunc cætus in unum
Venerat æquoreo circum stipante senatu.
Sede Thetis sublimis erat: subsellia Patres
Cærulei gemmata tenent, stantque ordine longo
Squamigeri regni proceres: genus omne natantum:
In medio Nymphæ manibus per mutua nexis
Et lepidas nectunt choreas, & carmina dicunt.
Hinc responsurum digitis cytharædus aduncum
Sollicitat lituum, atque argutum pollice sistrum.
Sed postquam auditæ voces penetralibus altis,
Extemplo choreas, & festo carmina plausu
Deseruere citi; vitreisque sedilibus omnes
Cærulei venere chori, caput extulit unà
Æquoreus Platamon, Glaucus, niveusque Palæmon,
Et qui Delphinesque vagos, vitulosque marinos,
Mõstraq cũcta solet magno æquore ducere Protheus.
Antevolat cunctos nativo murice tectus
Canentes Triton humeros, de more solutis
Crinibus, inflatâ qui personat æquora conchâ.
Progreditur formosa Thetis placidissima gressu,
Pur-

Purpureas imitata roſas, illi ora rubeſcunt
Inceſſu; & centum præſtanti corpore Nymphæ
Agglomerant ſeſe lateri: Xanthóque, Rhoéque,
Queis teretes geminâ pendent ex aure lapilli,
Prætereuntque leves pedibus properantibus Euros.
Et Panope, Panopeſque ſoror, redimitaque conchis
Pectora tortilibus, queis debet nomina, Cochlis,
Et flavos nodata auro Galatea capillos,
Vinctaque cyaneis circum cava tempora vittis,
Cymodocéq̄, Hyaléque, & quas mihi dicere non eſt;
Ore omnes formoſæ, omnes florente juventâ
Ore nitent, fulget gena concolor omnibus oſtro.
Auroque, & gemmis rutilant, & torquibus omnes,
Ex humeris pharetra, & lycius ſuſpenditur arcus,
Ac niveis præcincta nitent vaga crura cothurnis.
Quæ poſtquam vitreis exſurrexere latebris
Cæruleos duxere choros, pedibuſque choreas
Nexere ad numerum tranquilla per æquora ponti;
In ludi ſpeciem nunc hos in fluctibus orbes,
Nunc illos explent, alioſque, alioſque retexunt.
Pars & coraliis, pars lectis æquore conchis
Serta parant, pars e gemmis quoque nomina texunt.
Quarum quæ medio fertur pulcherrima cætu
Magnanimum Thetis ipſa modis Heroa canoris
Extulit ad ſuperas magnis concentibus arces,

Victo-

Victori plaudens, referens ac voce triumphum
Et ſalit, & reſilit, concordi voce Sorores
Dum geminant plauſus, diſcurſat læta per auras
Vox; Scopuli aſſurgunt plauſu, longeque propinqui
Reſponſant Luci, & Cæli convexa reſultant.
His plura addiderant, ſed plurima ferre parabant,
Ni, reſonante procul, ſonus hæc irrumperet inde.
Quá late undivago tumidus premit arva metallo
Confuſo ſtrepitu, feſtivo murmure motus
Interea Ganges gelido caput extulit imo
Iam ſenio preſſum: frontem fluvialis arundo
Rugoſam ornabat, denſiſſima barba cadebat
Aſpera per pectus, conchylia multa colore
Quam variant diſtincta vago. Pro crinibus illi
Stant viridi, pleni nigrâ ſalſugine, limi.
Crinibus ex ipſis nunquam bene pectine comptis
Guttæ,undæque fluunt,totum quæ corpus inundant.
Membra velut feſſus prægrandi mole movebat,
Ut longum qui fecit iter, longoſque per agros
Progreditur, ducitque vias ad litora longas:
Arcadiæ veluti rapidus crepitantibus Alpheus
Fluctibus exundans Arethuſæ brachia quærit,
Atque procul tales effudit pectore voces.
Gloria Luſiadum, Ductor Clariſſime, Caſtre,
Sat ferro, belloque datum, ſat Marte cruento

Quid

Quid valeat tua dextra, rubens jam ſanguine Maurus
Fractaque turbatæ teſtantur cornua Lunæ
Otthomanæ, quando præclarum optare triumphum
Non aliud, quam ferre, fuit, quam vincere, velle.
Viciſti; aſſeruit ſeſe, rupitque catenas
Urbs tandem, & faſtus decoravit grata triumpho.
Cedat Alexander ſpoliis Orientis onuſtus
Nunc tibi, concedat Scipio Carthagine victâ;
Pompeius, Cæſar, Marius, vel fortis Achilles,
Heroes ſileant veteres, quos fama volucris
Altitonante tubâ mirum ſuper extulit aſtra:
Fama tibi reſtat maior, clariſſime Ductor,
Longa quidem poterit quam nulla abolere vetuſtas:
Nam tua per memores vivent præconia faſtus
Semper; honos, nomenque tuum, laudeſq; manebunt,
Sæclaque nulla dabunt finem; tua gloria ſerum
Neſciat Occaſum: vaſtum Sol aureus Orbem
Dum luſtrabit equis, Phæbe dum nocte micabit,
Aſtra poli cæleſte ſolum dum clara tenebunt,
In mare dum volvant rapido ſe flumina curſu,
Attonitus Caſtrí nomen venerabitur Orbis.
Quàque cadit Titan, & quà ſua fræna retorquet
Cuncta per ora virum ſimul & gens Lıſia toto
Tolletur, toto ſurget gens aurea mundo.
Cinge triumphali victor tua tempora lauro

Victo-

Victorem nam serta decent. Tibi magna paratur
Magnifico ductu solemnis pompa triumphi.
Tu domitosque duces, & adhuc crudelibus hostes
Ardentes oculis, longis aut squallida tectos
Ora comis, currus cernesque anteire superbos.
Dum versas in terga manus, nudosque lacertos
Vincla gravant, duris stridet via trita catenis.
Ipse ego bellipotens meritum tibi, Magne, trophæum
Litore constituam, & patulis tua nomina ramis
Scripta leget, passimque sequens mirabitur ætas.
Vive diu at felix, longævi Nestoris annos
Imple etiam, atque inter plaudentum vota senesce.
Vive Pater Patriæ, vive o decus omne tuorum.
Dixit; cæruleisque caput demersit in undis.
Sed quid ego exili rapior super astra phaselo?
Tu quo Musa volas? Vitreo dare nomina ponto
Siccine vis audax? Celeres compesce volatus:
Quâ dignum illum laude feres? Quo carmine dices
Sublimi, merito celebrabunt carmine vates
Hunc alii maiore tuba, queis dexter Apollo
Faverit, & venam pulchro formaverit auro.

FINIS.

ERRATA.

⸿⸿. 3 HEbdomadæ	Hebdomadis.
ibid. pæne	pene.
fuere	fluere.
Archiathænæo	Archiathenæo.
Copiâ	Copia.
Vintus	Virtus.
pag. 2. move	mone.
pag. 7. poſſunt	poſſum.
pag. 17. Venient	Veniunt.
pag. 18. mobilia	monilia.
pag. 29. gramina	gramine.
pag. 58. aninare	animare.
pag. 65. quæ	quâ.
pag. 68. offuſus	effuſus.